DE

LUXATIONE SPONTANEA ATLANTIS ET EPISTROPHEI

DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICO-CHIRURGICA

QUAM

CONSENSU GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS

PRO SUMMIS

IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORIBUS

LEGITIME IMPETRANDIS

PUBLICE DEFENDET

AUCTOR

ANTONIUS ERNESTUS SCHUPKE

VRATISLAVIENSIS

DIE XXXI. M. AUG. A. MDCCCXVI

H. L. Q. S.

Accedit Tabula aënea.

BEROLINI,

TYPIS JOANNIS FRIDERICI STARCKII.

Ἢν ὑπὸ πυρετοῦ ἐχομένῳ ὁ τράχηλος ἐξαίφνης ἐπιστραφῇ, καὶ μόλις καταπίνειν δύνηται, οἰδήματος μὴ ἐόντος, θανάσιμον.

HIPP. APHOR. IV. 35.

VIRO

CELEBERRIMO EXPERIENTISSIMO

DOCTISSIMO

JOANNI NEP. RUST

MEDICINAE ET CHIRURGIAE DOCTORI, IN ACADEMIA REGIA MEDICO-CHIRURGICA PROFESSORI, CHIRURGO IN EXERCITUS BORUSSICI DIVISIONE SUPREMO, CRUCIS FERREAE EQUITI, PLURIUM SOCIETATUM LITTER. SODALI ETC. ETC.

PRAECEPTORI AMANTISSIMO

NEC NON

DOCTISSIMO

CAROLO AUGUSTO KUHL

PHILOSOPHIAE, MEDICINAE ET CHIRURGIAE DOCTORI PROFESSORI IN INSTITUTO CHIRURGICO-CLINICO LIPSIENSI, ET ILLIUS URBIS MEDICO PRACTICO ETC. ETC.

AMICO DILECTISSIMO

OPUSCULUM HOC QUALECUNQUE

SACRUM ESSE VOLUIT

AUCTOR.

Prooemium.

Saepenumero cogitanti, quodnam argumentum eligerem dissertationi, quam gratiosus medicorum ordo almae universitatis Berolinensis conscribi iussit, hoc quod in lucem nunc emitto, maxime placebat, opusculumque meum non ab omni utilitate destitum fore cupio ac spero. In qua dissertatione conscribenda, adiuvabat tum propria experientia quam Vindobonae feci, tum consilia praeceptoris pie colendi Prof. Rust, cuius in chirurgica nosocomii divisione practicis interfui exercitationibus, tum lectio eorum quae ab aliis in hanc rem scripta iam erant, et animadversa. — Quibus cognitum autem est, quam omnino sit tironi difficile, hos spero non fugiet, quantum magis ardua esse debeat, rei reconditae et fere novae tractatio.

Qua quidem in re qualis opera mea fuerit, et quomodo consilii mei rationem explicuerim, artis medicae peritorum iudicio relinquo.

Haec sunt benevole lector, quae prafari meum duxi. Teque bona cum venia hasce studiorum meorum primitias accipere velis, enixe oro rogoque.

E r r a t a.

p. 4 l. 8 *lege* perlustrabo
— 6 l. 11 — cephaloloxia
— 8 l. 12 — situs errores
— 9 l. 9 — κύφωσις
10 — λόρδωσις
ib. — σκωλίωσις
— 10 l. 17 — medicorum interdum
— 11 l. 20 — tantum
— 12 l. 9 — reniti
— 22 l. 2 — praecique
— 23 l. 19 — extenderat
l. 22 — particularum
— 29 l. 14 — illam, quam nobis
l. extr. — habeat
— 33 l. 19 — distingui
— 34 l. 8 — vel omnino non
l. 14 — inquisita
penult. — laboribus in pristinam

p. 35 l. 14 *lege* obnubilatum
— 36 l. 1 — ortae
— 38 l. 2 — quando
— 40 l. 4 — eodem
l. 15 — tempore
l. 22 — extincti
l. 23 — propellatur
— 42 l. 8 — farrago
l. extr. — excedit
— 42 l. 5 — contineantur
l. penult. — densatur
— 45 l. 5 — impellantur
l. 13 — est
l. 18 — morbus et internae
— 46 l. 11 — Ex omnibus.

Quae in interpunctione commissa sunt, ea ipse facile emendabit lector.

De luxatione spontanea atlantis et epistrophei.

Introductio.

§ 1.

Multiplex quidem ille, in cervice et collo se decussantium adparatus organorum nondum satis perpensus videtur. In singulis morati sunt systematibus, quae vel ad functiones necessarias pertinent, vel hac de causa magni esse momenti illis videbantur, quod, respectu organicae dignitatis, ambiguae tradita fuerunt opinioni. Hoc enim modo sollicite sive perscrutati sunt morbos viarum tum deglutitionis, tum respirationis functioni inservientium; sive medullae spinalis vitia interpretati sunt, ratione distinctionis modo exhibitae. Quamtumvis vero Nosographia exinde fecerit lucri, cum medenti satis firma largirentur columina, nihilominus tamen pathologiae remanserat lacunarum copia, quas explere non valuit. Sicuti enim magnus systematis irritabilis ramus per nucham extensus, systema dico vasorum intervertebralium, parum investigatum est', eodem fere modo etiam series nervorum sensorii sedi proximorum, et cum illa intime coniunctorum anatomicis solummodo disquisitionibus subiecta fuit. Eodem fere silentio neglecta est conjunctio, quam columna cervicalis tam inter semet ipsam, quam cum capite init; conjunctio nempe articulorum. — Conditiones luxationis vertebrarum cervicalium

e causa externa ortae, bene notae sunt, enumeratio autem signorum, quae in hoc morbo a causa interna orto cernuntur, adhuc in votis fuisse videtur.

§ 2.

Morbi nuchae, quorum natura multis adhuc obscuratur nebulis, interdum in medicorum scriptis tractati sunt. Nomine capitis obstipi, symptomata congesta commixtaque sunt aliena, ad formam morbi solummodo spectantia, perscrutationibus de natura morbi profundioribus rejectis.

Cervicis motus dolorosi variis affectionibus rheumaticis vel catarrhosis iuncti, rheumatismus musculorum colli audire solet. Et si forte felix morbi decursus istam symptomaticam diagnosin confirmat, morbus accuratiorem disquisitionem ultra requirere non videbatur.

Sed etiam in eo casu, quo forte felix curationis successus non procedat, notio rheumatismi chronici nihilominus ad rite determinandam morbi formam sufficere creditur. Si forte in eruendis morbi ejusmodi causis acrimoniam quandam vel syphiliticam, vel arthriticam, vel scrophulosam etc. subesse intelligitur, quae praecipua curationis momenta et indicationes therapeuticas suppeditat, omnis ulterior perscrutatio inutilis haberi solet. Si denique hi morbi nuchae, in curvaturas colli abeunt, tum Cyphosi, Lordosi, vel Scoliosi adnumerantur, ni forte in mutato musculorum colli antagonismo caussam sufficientem inesse distincte eluceat.

§ 3.

In plurium medicorum scriptis occurrunt observationes de morbis nuchae, qui peculiaris indolis esse videntur, quibusque quam maxime admonemur, ut in simili casu in investiganda eorum natura indefessi versemur.

An ad hoc problema explicandum aliquid conferre possim, periculum faciam. Rem maximi momenti bono animo suscepturus, judicio in re medica peritorum me summitto, eosque primitias hasce bona cum venia accipiant etiam atque etiam rogo.

§ 4.

Ne vero ratio, quam in re mea explananda sequor, ignoretur, monere mihi liceat, me scilicet modum, quo inter se epistropheus, atlas et occiput juncti sunt, respicere. Sicuti enim in articulationibus extremitatum majorum luxationes occurrunt spontaneae, quae peculiaria indicia prae se ferunt, ratione ossis morbose affecti, aut secundum speciem articuli, aut gradum, tempus, et directionem luxationis, sive ad functionem turbatam et majorem vel minorem organorum affinium affectiones: ita etiam in articulationibus superiorum vertebrarum colli, et praecipue inter atlantem et epistropheum, certae animadvertendae erunt proprietates, quando illae articulationes similibus laeduntur affectionibus pathologicis.

Huic meditationi haec ansam praebuerunt:

In ordinationibus medico-chirurgicis praeceptoris mei summe venerandi et illo tempore medici primarii in nosocomio Viennensi, Doctissimi D. Rust saepius nuchae morbi observati sunt, quorum natura et indoles initio nos latuit.

Neque mirum, quia hucusque Nosologi nil conscripserant, quod satis firmas poneret regulas, ad ejusmodi morbos rite dignoscendos. Ingeniosum praeceptorem investigantem non fugiebat, has morbi formas aliquid proprii prae se ferre. Exitus enim saepe funestus majorem vel minorem vertebrarum cervicalium et praecipue atlantis et epistrophei, destructionem cariosam adfuisse nobis demonstravit. Interdum etiam morbus, qui initium ab iisdem fere symptomatibus fecerat, felicius ad finem perductus est, impedita tamen capitis mobilitate remanente, vel illius directione plus minusve a recto tramite aberrante, cujus causa certe a vitiosa atlantis et epistrophei forma propter concretionem vel luxuriantem massam ossaceam derivanda erat.

§ 5.

Etsi illa quidem destructio vertebrarum colli nullo modo incognita est,

tamen vel descriptiones anatomicae quas obductiones offerebant, nil nisi admirabilia propter defectum rite concinnatae morbi historiae, exstiterunt *), vel illae interdum historiae nondum combinatae fuere, ut inde ne ulla quidem cognitio casuum similium efficeretur.

Investigationem nosologicam hoc modo optime obtineri posse puto, si omnium vertebrarum colli morbis breviter consideratis, illum morbum de quo seorsum mihi sermo habendus, nempe luxationem spontaneam primae et secundae colli vertebrae perlustraro.

Sectio Prima.

Animadversiones anatomico-pathologicae de vertebris colli.

§ 6.

Vertebrae ossibus brevibus adnumerandae, fibris vario modo se decussantibus nec non multa tela cellulosa contextae variisque organis fibrosis, intime iis adhaerentibus, ligamentis et musculis insignem firmitatem, mobilitatem et resistentiam adipiscuntur. Ossa illa easdem ostendunt proprietates, quas tum in ossibus latis, tum in longis observare licet; etsi ulterioribus propius accedant. Prominentiae variae vel apophyses, quibus praecipue major contextus densitas inest, aut articulationi aut fibrarum insertioni, quarum ope

*) Handbuch der pathologischen Anatomie von Voigtel, 1. Band, S. 315.
Schlicting in traumatologia, p. 12.
Stolte dissertatio de morte suspensorum, Groening. 1766. p. 16.
Andreae Bonn descriptio thesauri ossium morbosorum Hoviani, Amstelodami 1783, pag. 9. 10. 11.
Morgagni de sedibus et causis morborum 4. arti epist. 10, a, 13. epist. 10, a, 3. epist. 38, a, 4, 40, epist. 48, a, 17. epist. 48, a, 34, 35. epist. 55, a, 10. epist. 57, a, 2. epist. 62, a, 11. quae observationes continent; nec non epist. 27, a, 31—34. ubi a citatis exemplis ad morbum concludit.

junguntur cum musculis, inserviunt. Fossis denique variis, quae juxta istas apophyses occurrunt, aliae partes intime inhaerent.

§ 7.

Haec ossa inter se invicem mobiliter per articulationes juncta sunt, dum superficies ossium vicinorum cartilaginibus tectae per ligamenta circumposita consociantur. Haec vero conjunctio arcta est, dum superficies articulationis, quae se invicem vehementer premunt, non multum loco moventur. Quod autem ad mobilitatem totius columnae vertebralis, ab omni parte flexibilis invenitur et arthrodiae speciem refert. Sed si solummodo mobilitatem duarum vertebrarum adspicias, ea tibi angustis finibus inclusa, specie amphiatroseos, apparebit. Membrana synovialis utramque superficiem articularem, sicuti etiam organa proxime adjacentia in decursu ab una ad alteram, et glomerulos pingues, in articulationibus ortos et quos nonnulli glandulas synovialis esse contendunt, obducit. Capsula fibrosa hoc loco deest.

§ 8.

Ossa plerumque non nisi morbis chronicis obruuntur, in quibus reproductio jam per longius temporis spatium laborat, sicuti in arthritide, lue, etc. etc. Rarissime autem in morbis acutis et communibus tentantur, quia insigne commercium organicum inter illas et alias corporis partes abest. Idem in vertebras colli valet.

§ 9.

Quae in ossium morbis observantur differentiae, et quot in classes redigantur, eaedem etiam in morbis vertebrarum colli occurrant, necesse est. Sunt enim morbi qui vel 1) vertebras ipsas, earum substantiam et continuitatem afficiunt, ut vulnera, fracturae, exostoses, necroses, caries, mollities rachitica, friabilitas, spinafida et illa degeneratio ossea, cui nomen spinae ventosae et osteosarcomatis est: vel 2) qui articulationibus et eorum contiguitati obsunt, ut distorsiones, luxatio-

nes, hydrops articulorum; corpora aliena in articulationibus progenita, tumores albi, et anchyloses. Plures affectiones ad classem inferiorem spectantes ipsam ossis substantiam alienare possunt, uti videmus in tumoribus albis leu lymphaticis circa articulationes provenientibus, ubi caries saepius, partibus vicinis intumescentibus mollibusque se adsociat. Inflammatio denique cuivis classi convenit.

§ 10.

Sponte patet, in tali affectione rationem etiam harmonicam functionum vitalium plus minusve turbari, collique directionem, modo anomalo mutari, atque ideo aberrationes a forma normali serius aut citius adparere. Hae quidem acceperunt nomen: Caput obstipum, collum obstipum, obstipitas vulgaris, cervix obstipa, Torticollis, Cephallooxia, Trachelagra, (schiefer Hals, krummer Hals.)

Hoc nomine omnes comprehenduntur morbi, in quibus caput in unum alterumve humerum distrahitur, ita quidem, ut huic plane insidere videatur: dum, uti jam supra dixi, phaenomena solummodo maxime sub sensus cadentia considerantur. Faciem ipsam interdum ad idem ad quod caput vergit, saepissime tamen ad latus oppositum conversam esse, contendunt. Hunc morbum denique originem suum ducere ex contractione vel diminutione cutis externae in uno colli latere, ex errore quodam in musculis caput moventibus, a consuetudine perversa, spasmo et paralysi musculorum colli, praecipue sterno-cleidomastoidei. Morbo per longius temporis spatium, praecipue jam in infantia orto, etiam vertebrae colli formam praeposteram recipiunt; vel oritur anchylosis et deinde malum fit insanabile. *)

---

*) Richters Chirurgie, Band 5.
Bernstein praktisches Handbuch für Wundärzte, 36.
Consbruchs Chirurgie, B. 2. S. 535.
Sauvages Nosologia methodica sistens morborum classes, Tom. I. p. 537.

§ 11.

Attentione quidem collata in columnae vertebralis morbos, respectu nempe implicati connexus omnium illorum in cervice et collo versantium organorum atque respectu organisationis similis in cetera vertebrarum columna vel in articulationibus extremitatum majorum, alia exinde sequitur regula ad rite disponendos atque in classes redigendos illos morbos, in quibus directionis colli status morbidus adest. Connexum causalem non praetereundum esse, facile elucet, quia ille exhibet vinculum insigne inter morbum et ejus symptomata. Secundum meam opinionem hae species distinugendae sunt:

Imo. Collum obstipum seu collum incurvatum a deformatione, quam proles ex utero materno secum fert.

IIdo. Mutationes formae vertebrarum colli, a mala habendi corporis consuetudine, provenientes. Columna vertebralis, quae jam natura sub onere corporis nostri paululum incurvatur, certe apud illos homines — praecipue in infantibus myopicis — qui omnia e proximo contemplari et hac de causa corpus semper pronum tenere consueverunt, magis adhuc incurvatur, ossa tandem in situ, in quem coguntur, perpetuo perseverabunt, et hoc modo non solum difficile sed etiam naturae adversum erit, caput denuo erigere.

IIItio. Caput obstipum seu collum incurvatum mala musculorum colli conditione, e. g. in rheumatismis, inflammationibus, vulneribus magnis cicatricibus cum magna substantiae jactura, tumoribus illorum musculorum vel bursarum mucosarum et glandularum quae interpositae sunt.

IVto collum incurvatum ab actione nervorum dissentanea, sicuti in spasmis, convulsionibus et paralysi. De periodica colummae cervicalis incurvatione per morbosam nervorum actionem illatae, permulta existunt exempla. *)

Dissertatio medica de capite obstipo, quam tuebatur Georg. Frder. Jaeger, 1757. in Halleri disputationibus chirurg. Tom. II. p. 374.

*) Wepferus in observatio: de affetib. capitis, in contextu observationis, S. 64. Idem in observ. III.

V. collum incurvatum a subitanea luxatione, vel fractura vertebrarum colli, a causis externis progenitum, quae tanta vehementia agunt, ut structura quarundam partium, quae ad liberam articulorum colli mobilitatem necessariae sunt, vel cohaerentia ossibus insita impulsui externo resistere non valeant. Sicuti generatim, quam luxatio profert morbi forma, pro articuli affecti diversitate varia est et ex propria hujus indole intelligi potest: hoc etiam modo, quod ad luxationem vertebrarum colli, hic ea adhuc differentia contemplanda est, quae a singulae vertebrae colli secessu dependet. Hoc respectu atlantis, epistrophei aut aliae colli vertebrae luxatio suas quaelibet formas, et effectus proprios exhibet. Luxationis gradus duo sunt.

Pro vertebrae enim a situ justo secedentis, et pro rationis, qua aberrat, diversitate, oriuntur illi situs loci errores, qui dicuntur vel subluxatio (parathrema) si quaedem vertebra aut pro parte modo ex articuli fovea recedit, aut si totum egressum fuit, iterum resiliens varia relinquit symptomata, specifica: vel luxatio (exarthrema) quae est perfecta vertebrae ex fovea sua articulari secessus, et permanens illius in locum alienum aberratio.

VI. Momenta causalia tandem occurrunt, quae non tam subitanea vehementia, quae articuli robore major sit, in vertebras colli, et earum articulationes, sed per longum tempus agunt, ac saepissime fundamenta seriei causarum et reactionum jaciunt, uti morbi secundarii variolarum morbillorum etc. praeter naturalis ossium mollities, seu singularis organismi in illum errorem dispositio ex statu rachitico, scrophuloso aut quocunque alio, quo ossium mutritio pervertitur: quae tandem majori vel minori temporis spatio, illam vitiosam vertebrarum mutationem inducunt, ex qua obstipitas consequitur.

§ 12.

A. Platero Observat. L. I. pag. 133 vocatur spasmi species, in qua caput ad sinistrum latus torquebatur.
A. Bonnet in apulchret. L. I. Sect. 13. observat. 33. capit. in sinist. partem convulsio.
A. Bootius capitis distorsio in observat. de affect. omissis cap. 5. Observatio ex Riverio alligatur.
Meibomius in praefatione ad observat. med. de affectib. omissis hujus Bootii.

§ 12.

Haec classis differentiam admodum insignem admittit.

Primo enim vel tota columna cervicalis sensimsensimque directionem perversam cum difficiliori vel penitus imminuta mobilitate omnium vertebrarum colli recipit. Formae vitia mox apparent. Hoc malum vario modo oculis se offert, et hanc vertebrarum colli in unum alterumve latus inclinationem, quae nec luxatio, nec subluxatio vocanda est, dum plures vel omnes vertebrae aliam quasi figurae formam et directionem nanciscuntur, et invicem liquefiunt, antiqua Hippocratis divisio adtingit, qua nempe senex divinus in denominandis metamorphosibus gibbosis usus est: ut vel *κυφωσίς*, si incurvatio retrorsum; *λορδοσίς*, si antrorsum, *σκολίοσις* si in latus versus adest, et tandem in *σείσις* *) ubi omnes vertebrae in loco manent, sed eorum compages dimovetur. Tali incurvatione vertebrarum colli (obstipitate ossea) accidit, sicuti in distorsionibus aliis ac valde frequentioribus ceterae columnae vertebralis, ut ligamenta et cartilagines quae inter pressas et incurvas vertebras positae comprimantur, elasticitatem amittunt, tenues et tandem penitus dissolutae evanescunt. In latere opposito magis extenduntur, intumescunt, et crassiores fiunt. Perseverante pressione omnis tandem mobilitas aboletur et in concretionem vertebrarum frequentissimus conspicitur exitus. Cartilaginibus penitus destructis non raro vertebrae dissolvuntur. Totus morbi decursus maximam partem lente, et sine magno dolore absolvitur. Saepissime invadit hic morbus aetatem infantilem vel puerilem et hac de causa dolores exigui in articulis extensis solummodo a flexibilitate majore et resistentia minori fibrarum adhuc imbecillium derivatur, quae crebre cum mollitie ossium inconsueta junctim invenitur. In partibus duris ac mollibus lateris incurvati inflammationem facillime suppuratio sequitur. A directione processuum obliquorum, tum a vi inaequali

*) Galenus in Hippocratis de articulis Comm. III. cap. IV. de spinae vertebris.

musculorum, tum a connexu partiali ligamentorum, contorsio saepe mutatur, ita ut processus spinosos ad unum alterumve latus, et transversos interdum retrorsum conversos vidimus. Medulla spinalis, incurvatione canalis in quo includitur saepissime pressa, extenditur, et ejus vis in extremitates superiores atque inferiores plus minusve turbatur, nisi propter lentam situs mutationem pressui assuescit. Partes vicinae secundum incurvationis speciem vario modo affectae sunt. Mirandum certe! in operibus recentiorum interdum medicorum dubitari, utrum ossa in capite obstipo seu collo incurvato primariam praebeant morbi causam? Joerg *) enim dicit: "doch habe ich dasselbe (Gebrechen des schiefen Halses) nie gefunden, wo es von den Knochen hergerührt hätte, immer waren die Muskeln die erste Ursache dazu. (Pag. 19.) Dafs ferner auch die *Knochen* die erste Veranlassung zu diesem Gebrechen werden können, mag ich nicht ableugnen." Exempla certe non pauca invenimus, in quibus ab ossibus primario adfectis colli incurvatio proficiscitur. In instituto clinico-chirurgico hujus urbis videbam puellam septem annos natam, ubi tanta in antrorsum omnium vertebrarum colli incurvatio orta est, ut occiput primae dorsi vertebrae insidere videretur. Externae colli et omnes ejus molliores partes incolumes. Caput retro inclinetur necesse est, nec nisi motus artissimis finibus inclusos concedit. Exemplum lordoseos in vertebris colli. (§ 29.)

§ 13.

Sunt etiam incurvationes, quae in una alterave vertebra cervicali et praecipue in summa colli parte in regione atlantis et epistrophei proveniunt, et ubi sero quaedam voluminis mutatio partium externarum animadvertitur. Morbus deinde superficiebus atlantis et epistrophei articularibus insidere, easque loco movere et tandem partim vel per concretionem illas inter se conjungere vel haud raro per cariosam exstinctionem longius procedere, videtur. Hic morbus in toto suo decursu magnopere differt, ab alia supra descripta incur-

*) J. C. Joerg, über die Verkrümmungen des menschlichen Körpers und eine rationelle und sichere Heilart derselben. Mit Kupfern. Leipzig 1810.

vatione quae pluribus aut omnibus vertebris colli contingit. Inter structuram tamen atlantis et epistrophei et aliarum vertebrarum colli magna differentia conspicua est. Inde jam consequitur etiam in affectionibus morbosis symptomatum varietatem expectandam fore quando superficies articulares horum ossium a se invicem depelluntur, directionem ac mobilitatem aliam quam par est, nanciscuntur, et hoc modo a causa interna luxantur.

§ 14.

Differentia vero nunc enumerata non solum quantitativa, sed essentialis reperitur. Multa propria ac singularia in decursu hujus morbi exstant. Diligens atque exacta observatio, simulque abstractio, cui propositum est, commune morborum similium a proprio distinguere, mox signa demonstrabit pecularia. Hae tamen non fugerunt ingenium atque perspicuitatem medicorum plurium e. g. Hippocratis, Galeni, v. Swieten, Reil, Frank, Rust etc. qui de illis loquuti sunt.

§ 15.

Perseverans et nec sine dolore mutanda colli atque capitis *) directio vel in anterius et in dextrum sinistrumve latus, vel retrorsum; sine magna formae mutatione in variis exterioribus colli partibus, invenitur. Quatenus colli vertebra per causam in corpore nostro ipso enatam loco suo movetur, directionem inconsuetam accipit, ejusque facies glenoidales e contactu mutuo cum vicinis depelluntur, eatenus notio luxationis spontaneae exinde sequitur. Completa quidem luxatio, (sic dicta exarticulatio, exarthrema,) in his articulis prius vix oriretur, nisi vel destructis, unius vertebrae cariosae cervicalis, ligamentis, haec quasi sine ullo vinculo inter ceteras vertebras posita, per capitis pondus circa axim suum dimidium contorqueretur; vel si tumor inflammatorius vel exostosis de basi cranii proveniens, atlantem aut epistropheum tali modo e loco suo ligamentis bene tensis sensimsensimque verteret, ut processus transversi antrorsum retrorsumque conspicerent. **)

---

*) § 13. **) Vide § 26.

§ 16.

Completa vertebrarum colli luxatio a rebus externis illata, quarum tanta vis est, ut ossa vel ligamenta illis resistere non possint vitae damnum affere dicitur. Praeterea aberratio capitis a prima colli vertebra causis externis effecta multis dubitationibus adhuc premitur. Et revera, ille enim articulus inter occiput et atlantem nullos nisi motus arctissimis finibus inclusos concedit. Saepius enim oriretur fractura atlantis quam luxatio ab osse occipitis. Fractum tamen atlantem natura fuisse sanatum refert *Wynpersee* *) sequenti modo: „Insolita magis est solius atlantis cum epistrophe concretio, quam tamen vidit *Riolanus*, monente *J. Palfyn* **). In illo exemplo per callum a fracto ad partem dextram et anteriorem atlante concrevit epistropheus, tum ope processuum transversorum adscendentium et descendentium ac epistrophei dentis, tum ope corporum ipsorum; hoc in specimine id quod valde notandum, quod ante dextrum processum atlantis transversum conspiciatur magna satis eminentia quae primo intuitu callus esse videtur, diligentiori autem examine apparet revera esse globum plumbeum, in hoc osse, quasi thecae callosae materia formatae firmiter et pulcre inclusus, cui quidam directo itinere olim injectus sclopeto videtur fuisse. Supervixit aeger quoque sine dubio, qui illum recepit, uti docet calli firmitas et ancylosis inde nata, variis locis has vertebras coadunans. E quo specimine patet, ubi similis eo in loco, quod tamen raro accidit fractura, hanc ancylosin tantam non semper debere occurrere; cumque fere, qui calli eo in loco luxuriem ossiumque coalitum impediret, magnum in arte fere Apollinem. Mirum quoque est, in tali casu, oborta paralysi, non statim instare fatum, dum vix et ne vix quidem nobilissimae et ad vitam summopere requisitae partes a laesionibus tutae esse possunt."

Epistropheum ab atlante sine vitae abolitione perfecte luxari posse plura com-

*) Wynpersee dissertatio medico-chirurgica de anchylosi.

**) Beschryving der Beenderen p. 315.

probant exempla, quorum hic nonnulla notatu digna nominare liceat: Casum luxationis completae epistrophei ab atlante refert *Ehrlich* *). *Preiſs* **) enarrat de aegro qui tertio mense post luxationem secundae vertebrae colli a prima, mortuus est.

Luxatio vertebrarum colli oritur saepissime a lapsu in caput e loco nimis alto. Periculosa quidem ista consuetudo, quae infantem ambabus manibus capite prehendit, tollit, fortiterque agitat causam interdum offert. En triste exemplum quod *Petitus* tradit: „Puer septennis animi lususque gratia sic capite prehendebatur, ut altera manu mento altera occipiti applicata tolleretur. Puer pedibus vix e terra sublatis in aere suspensus seniti corpusque plurimum agitare coepit, capiteque luxato confestim mortuus est." Tamen non addit *Petitus* qualis quantaque luxatio fuerit. Perquam tragicam subjungit sequelam: huic facto enim interveniens vicinus pater ira inscensus fugientem patratorem malleo ephippiariorum petit, unde ille extrema ejus parte acutiore secante in scrobiculum nuchae injecta tamque profunde impacta intra primam et secundam colli vertebram, ut medullam transfoderit spinalem e vestigio extinctus est.

§ 17.

Jam a luxationibus vertebrarum colli a causis externis ad luxationem spontaneam transeo. Plures de hac jam existunt observationes, uti jam memoravi (§ 14.) et hac de causa nil novi aut inauditi hic expectandum est rei. Quam

---

*) *Ehrlich* chirurg. Beobacht. 1815. Leipz. S. 199.
**) Salzburg. med. chir. Zeit. 1792. B. 3. S. 297.
Zittmann Cent. IV. Cas. 5. et Cent. V. cas. 24.
Pyls Aufsätze 6. VIII Cas. 9.
Hufeland's neues Journal der praktischen Heilkunde 20. B. St. 1. S. 96.
Erhardt Schmidt dissertatio chirurgica de luxatione nuchae. Tubing 1747.
Ludwig advers. medi. pract. Vol. II. Pars II. Lips, 1767.
Boyer. Traité des maladies chirurgicales et des operat. etc. Paris 1814. Tom. IV.
Schmucker in seinen vermischten Schriften im 1. Bande.

vero ejus notitiam habuerint medici nunquam clare explicatam atque descriptam invenimus. Operae inde pretium esse videtur, omnia ad hanc morbi formam spectantia atque apud varios auctores obvia accurate colligere atque fusius hic exponere.

Sectio Secunda.

Animadversiones circa hujus luxationis spontaneae historiam.

§ 18.

Haud raro invenimus observationes de chronicis tracheae et oesophagi morbis, quorum symptomatologia e fontibus et causis non sat perspectis deducta esse videtur. Mihi quidem saepius videbantur hi morbi producti esse alia morbi forma aut mox post ortum exstincta aut adhuc perdurante, qui hoc modo symptomaticam quasi dignitatem pro medico practico acquisiverat.

§ 19.

Memoratu dignam *Hippocratis* observationem de rara et pene insolita anginae specie vertebrarum colli superiorum inclinatione aut perversione per causam internam spontaneam orta, huc referendam esse censeo. Haec enim dicit. *)

„Erant anginosorum affectiones hujusmodi; cervicis vertebrae ad interna conversae sunt, aliis quidem plus, aliis vero minus; atque in partibus exterioribus manifesta in cervice videbatur concavitas; dolorem laborans, ubi illic tangebatur, sentiebat. Accidit etiam angina cuidam sub ea vertebra quam dentem nominant, verum non adeo acuta; quibusdam vero ab rotunditatis magnitudinem omnino conspicua nec bubones **). Fauces autem, ut ea vertebra, quod

*) Hippocrates de morbis popular vagentib. Lib. II.

**) Sic vocabat Hippocrat. phlegmones in glandulis tonsillarum ortas.

dens dicitur, minus laborabant, sed moleste afficiebantur. Ea quae sub genis erant, tumebant quidem; sed inflammatione laborantibus haud erant similia. Nec bubones alicui tumebant, nec dolor cruciabat; sed naturali potius habitu permanebant. Lingua haud facile convertebatur, atque aucta ipsis videbatur atque exserta. Venae sub lingua manifestae. Deglutire nisi magno cum labore, nequibant; ac si quaedam devorare conarentur, per nares effluebat id quod ingesserant. Ex naribus loquebantur; spiritus ipsis non admodum elatus. Nonnullis capitis, temporum atque cervicis venae attollebantur. Atque horum quibusdam, quibus dolores recrudescebant, tempora paululum calebant, quamvis alioquin non febricitarent. Plurimi suffocabantur, nisi cum vel sputum, vel aliud quidquam deglutire tentarent. Neque subsidebant oculi, igitur, quibus tumor non in alterutram partem deflexus sed rectus erat nequaquam paralytici evadebant: horum si quempiam periisse mihi constaret; id referre minime gravarer. Nam quotquot memoria nunc consequi possum, omnes superstites permanserunt. Atque alii, quam celerrime sanitati sunt restituti. Alii non pauci quadragesimum diem praeterierunt. Insuper nonnullos febris non arripuit. Plurimis etiam in longum usque tempus, pars quaedam tumoris protracta est, cujus rei signum et a deglutitione et a voce sumi poterat. Atque eliquatae quoque columellae malae significationis nuntium praestabant, quamquam nihil mali habere videbantur. At vero, quibus alterutra pars afficiebatur, ii ea parte, a qua vertebrae inclinatae erant, paralytici evadebant, atque haec ipsa versus alteram trahebantur. Porro hujusmodi accidentia tum in facie, tum in ore et septo, quod gurgulionem distinquit, evidenter deprehendebantur. Quin etiam inferiores genae pro ratione mutabantur. Caeterum qui paralytici ab angina fiebant, iis non totum corpus ut in aliis fieri solet, resolvebatur; sed usque ad manum duntaxat malum procedebat ab ea parte, quae angina urgebatur: atque ii concocta quaedam, atque exigua non sine molestia exspuebant. Praeterea quibus tumor in rectitudine consistebat, ii exspuere poterant.

At ii, quos febris quoque infestabat, longe majori difficultate spirabant, ac inter loquendum screabant, venae ipsis attollebantur, atque pedes erant, quam frigidissimi. Horum si aliqui non illico mortui sunt, ii tamen erigere sese haud quaquam potuerunt. Verum omnes, quotquot equidem noverim mortem obierunt." Deinde legimus haec *): „Qui autem angina laborabant, illorum hae erant affectiones. Cervicis vertebrae intro vergebant, quibusdam amplius, quibusdam minus, collumque conspicuam intro cavitatem habebat, et hac parte contactum dolebat."

§ 20.

Galenus **) qui Hippocratis de hac anginae observata commentatur, fatebatur: rarissime occurrere talem morbum, tamen confirmat, vertebrarum superiorum observatos fuisse secessus et vel inclinationes ad anteriora, vel perversiones ad postica, vel et secessus ad latera, eosque omnes sine injuria externa aut violentia illata inductas, cum effectu anginoso et nervorum resolutorio sive paralytico.

Swietenius ***) miratur, per morbos absque vi externa vertebras cervicis luxari posse; lapsu hoc fieri, vel alia vi externa nullum dubium subest.

§ 21.

De Cyphosi in vertebris colli invenimus exemplum in *Halleri* disputationibus chirurgicis****). Puellae rusticae viginti fere annorum per rheumatico-erysipelaceas congestiones in nucha, sensim adeo extrorsum fuere subluxatae et *Κύφωσιν* passae secunda et tertia colli vertebrae ut insignem monticulum in nucha elevarent, caput vero ad anteriorem partem sic detrorserunt, ut mentum jugulo quasi adglutinatum esset, caputque manibus meis erigere noluerim. Deglutitio qui-

*) Hippocrates Epidem 2. Charter. Tom. IX, pag. 145.

**) Comment. II. in lib. II. Epidem. Charter. Tom.

***) Comment. Tom. II. Pars I. § 818. p. m. 704.

****) Pars II. pag. 366.

quidem non erat valde laesa, sed assumptio limpidorum, quae per fistulam sugere cogebatur.

§ 22.

Joannes Petrus Frank *) qui incurvationes spinae vertebralis a causa interna, quando primam aut secundam colli vertebram attinent, bene noverat, singularem morbi historiam enarrat, sub cujus fine auditores medicos attentos reddit, si unquam tam rarae aegritudinis rectius observandae nanciscerentur occasionem. Quia scitu digna haec est historia, integram communicabo. „Filia Praetoris Palatini ex Bretensi urbe, decimum quartum agens annum, ex rachitica admodum matre nata, integerrima tamen florentique admodum forma corporis praedita, anno 1783 ex improviso de colli dolore et deglutitionis difficultate conqueri coepit. Ab hoc vero incommodo, quae Veneris instar, rectissimo corpore incedebat puella, nunc caput jugulumque, ad sinistrum inclinare, et cum ab anginoso affectu jam esset liberata, eodem tamen in situ retinere observabatur. Archiatri Spirensis tunc munere adhuc fungens, vicinam urbem adire, aegrotamque in hac ipsa invisere non potui. Hinc Bruchsaliam a patre amantissimo transmissa fuit puella, atque a me, quam accuratissime fieri poterat, examinata. Incommoda magna ex brevi licet itinere aegrota pertulerat, et de colli tensione, sub quovis rhedae motu, adaucta, conquesta erat. Videbatur tamen famulae, ac si collum ab hoc itinere paulo rectius, quam ante illud minus recurvum teneret Domina. Vestibus positis mox offerebat inflexionis causam, genitori quidem et assistentibus, non nisi post perpessam anginam patefactam. Colli nempe vertebrae binis in locis a recto tramite inflexae atque ipsa quoque dorsi spina, tribus fere locis, praeter morem ad latus unum alterumve incurvata, quemadmodum illis contingere videmus, quibus gibbos futuros in talibus rudimentis praesagimus. Illibata caeterum sanitate virgo fruebatur atque nonnisi venustate pristina amissa dolebat.

*) Delect. oposculorum Vol. V.

§. 23.

Ingenuim divi *Reil* non fugiebat: historias morborum nunc enumeratas, eundem fere processum agnoscere. Hunc inflammatorium esse, putat, ut in pyretologia sua primo de inflammatione ossium *) agens loquitur. Tandem ait: mentionem adhuc faciam de vertebrarum colli inflammatione certe frequenti, quae vel pro rachitide, vel pro angina ob deglutitionis functionem laesam habebatur. Ter hunc morbum observavi in infantibus et pueris. Corpora quorumdam vertebrarum superiorum, dolore et febre comitantibus, subito inintumescebant, antrorsum inflexa caputque retro deprimentia deglutitionem dolorosam et molestam reddiderunt. Quatuordecim fere diebus praeterlapsis febris evanuit; abeunte spatio morbi acuto, ossa detumescebant, caput quidem in situ pravo remanens pristinam mobilitatem nunquam recuperabat, ob vertebrarum colli concretionem, quam maxime verisimilem. In adolescente, dum angina laborabat, collum in partem anteriorem simulque in latus dextrum flectebatur. Angina quidem remota, collum nihilominus magis incurvabatur, donec aeger a febri hectica et paraplegia superveniente die decimo septimo diem obiret. In cadaveris sectione condyli ossis occipitis, omnia vertebrarum colli ac quatuor superiorum dorsi corpora emollita et condylos ossis occipitis nec ne vertebrarum colli superiorum pro parte destructa invenimus.

§. 24.

Richter **) haud claram de hac luxationis spontaneae specie mentionem fecit: ait quidem Caput obstipum originem interdum ducit a metastasi materiae cujusdam morbosae ad musculos colli unius lateris; quo facto musculis et tela cellulosa vicina induratis atque brevioribus redditis, caput ad hoc latus trahitur. Morbus hoc modo valde similis est illius claudicationis speciei, quam interdum luxationem spontaneam vocant, et quae cum decurtatione unius pedis

---

*) Fieberlehre B. 2. § 102.

**) Richters Chirurgie B. IV. § 376 et 377.

juncta, per materiam irritantem, quae musculos in vicinitate articuli coxae infestat, producitur.

§. 25.

Boyer *) locuutus de luxatione capitis de atlante per causas externas memorabat: „Allein die Natur, die eine so schnelle Veränderung nicht ertragen kann, gewöhnt sich daran, wenn sie nur nach uud nach, und auf eine unmerkliche Weise geschieht, und das Rückenmark welches bei einer geringen allein plötzlichen Abweichung der Wirbelsäule tödlich verlezt werden würde, erträgt sie, wenn sie nur allmählig entsteht, wie wir dann Fälle bei der Rachitis haben. Nur aus der Langsamkeit, mit welcher diese Luxation geschieht, kann man es sich erklären, wie es möglich ist, daſs ein Subject so lange nach dem Entstehen dieser Krankheit fortleben kann, bis der Atlas mit den Hinterhauptsbein verwächst."

§ 26.

In alio opere refert *Boyer* **) „On connoît maintenant un assez grand nombre de faits de luxations de l'occipital sur l'atlas, produites par cette cause (les alterations organiques). *Daubenton* en a décrit un exemple, dont la pièce étoit déposée au cabinet du Roi: Sandifort en a décrit cinq qui existoient dans le Museum de Leyde: nous en avons vu un à la Charité etc. Dans ces cas, la déformation des surfaces articulaires, peut-être leur ramollissement, une exostose des apophyses transverses de l'atlas, ou parvenue sur ce même point, et provenant de la région jugulaire de l'os occipital ou du rocher, ont détourné peu-à-peu l'atlas, et l'ont amené successivement plus ou moins loin de sa situation naturelle, tantôt en portant cet os en devant, tantôt en le portant en arrière etc. On a vu l'arc

*) Bürger Boyer's Vorlesungen über die Krankheiten der Knochen übersetzt von Spangenberg. Leipzig 1804 S. 123.

**) Traité des maladies chirurgicales et des opérations qui leur conviennent; par M. le baron Boyer à Paris 1814 Tom. IV. pag. 104.

antérieur, le postérieur, ou l'un des côtés de cette vertèbre, intercepter un tiers, la moitié, les deux tiers du diamètre du trou occipital. Malgré la gêne prodigieuse qu'un semblable déplacement a dû exercer sur la moëlle épinière, les sujets n'en ont pas moins vécu; et tout au moins les fonctions nutritives ont pu s'exercer assez librement, pour laisser le temps à des exostoses, qui assujettissoient ainsi la première vertèbre, d'acquérir un grand développement, ou à une anchilose qui lioit ensemble la tête et la plupart des vertèbres cervicales, d'acquérir une grande solidité. Jamais, dans ces cas-là, on n'a trouvé l'atlas libre dans son déplacement sous l'os occipital; toujours cette vertèbre s'est trouvée confondue au moins avec cet os, et le plus souvent aussi avec les cinq ou six vertèbres suivantes. Une remarque intérressante, mais qui ne doit point étonner, c'est que, dans ces cas, l'articulation occipito-atloïdienne n'est presque jamais la seule qui ait subi des changemens de rapports, à moins que le déplacement de l'os occipital ne soit fort peu étendu: presque toujours l'articulation atlo-axoïdienne et quelquefois même la symphyse occipito-axoïdienne, ont éprouvé des alterations remarquables. Tantôt l'axis et l'occipital ont conservé leurs raports naturels, tandis que l'atlas semble s'être déplacé seul entre les deux: tantôt la seconde vertèbre s'est déplacée par rapport à l'os occipital, dans le même sens que la première, mais semble n'avoir partagé qu'une partie du deplacement que cette dernière a subi; tantôt enfin, la première et et la seconde ont tenu un chemin opposé dans leurs déplacement simultané; en sorte que l'une s'étant portée à gauche, l'autre s'est portée à droite, ou *vice versa*. Dans l'un des exemples cités par *Sandifort* le deplacement lateral en sens contraire des deux premières vertèbres étoit si étendu, que les points opposés du contour annulaire de ces deux os, interceptoient entre eux vis-à-vis le trou occipital, un espace seulement de six lignes. *Duverney*, qui a rencontré un cas semblable, mais ou le déplacement opposé des deux vertèbres avoit lieu dans le sens antéro-postérieur, a vu l'apophyse odontoïde rap-

prochée de l'arc postérieur de l'atlas, des deux tiers de l'ouverture annulaire de cette vertèbre. Il est évident que, dans ces cas, tous les ligamens de l'articulation des deux premières vertèbres entr - elles, et de celle de l'occipital avec l'axis, ont dû être détruits, ou du moins altérés au point d'avoir entièrement perdu leur consistance." *) **)

---

*) Quaedam adhuc memoratu digna ex anatomia pathologica breviter adjicere mihi in animo est. Enostosin ossis occipitis eodem loco in quatuor craniis observatam, descriptam invenio in *Tesmeri* Dissertatione. †) Haec enim ibi legimus „Celeb. *Rudolphi* cranium offendit, prope cujus processum condyloideum ossis occipitis dextrum exostosis occurrebat teretiuscula quatuor circiter lineas longa totidemque diametro transverso adaequans, apicem versus autem corrosa, ut certi quid de eadem pronunciare non liceret. In alio cranio est exostosis prope ossis occipitis processum condyloideum dextrum sita, paulisper extrorsum et retrorsum directa, basi pone processum condyloideum prominens teretiuscula inaequalis, apice oblique compressa et latere apicis antico facie articulari plane instructa, cui similis in superficie processus transversi atlantis postica respondebat. Longitudo exostoseos septem lineas excedit, latitudo fere quatuor lineas, apex autem compressus ab anteriori ad posteriorem faciem vix lineam dimidiam aequat. Faciei cum atlante articulantis planae et suborbicularis diameter tam transversus quam longitudinalis tres fere lineas adaequant."

„Aliud cranium exhibet Exostosin inter processum jugularem et condyloideum sinistri lateris, condyloideo tamen propiorem, et basi ultra hancce prominentem ceterum extrorsum et retrorsnm directam subtriquetram, apice inaequali, ut cartilaginem quandam hunc tegentem maceratione solutam fuisse suspicareris. Longitudo fere pollicem dimidium, latitudo tres lineas, diameter vero ab anteriori ad posteriorem partem ductus fere quatuor lineas aequat."

„Quartum denique cranium, quod Ill. *Knape* anatomicus summus possidet, duplici instructum est exostosi. Dextra pone processum condyloideum dextrum reperitur, quam sinistra major, antrorsum curvata. Basi latiore utitur, tam teretiuscula, ad novem linearum longitudinem recte descendit, deinceps angulo fere recto antrorsum flectitur, apice excavato faciem articularem sistens ultra quatuor lineas latam, duasque circiter longam. Partis antrorsum curvatae longitudo sex fere lineas aequat, Exostosis sinistra pone processum condyloideum sinistrum sita, basi pariter crassior est, apice oblique compresso, quatuor lineas longitudine seperans, et ejusdem fere latitudinis, diametro opposito vix lineam aequante."

„Omnium harum exostosium substantia, qualis ossis occipitus videtur, superficies vero satis laevis est."

„Flexioni capitis illas quodammodo obstare ex earundem et atlantis faciebus articularibus colligerem, qui nisi ab exostosibus dictis premeretur articulationem certe cum ipsis non iniret."

**) Aliud exemplum; summa attentione dignum refert Mekel: ††) „Ibidem in Tabula secunda

---

†) *Dissertatio anatomica sistens observationes osteologicas, quam publice defendet J. G. Tesmer MDCCCXII. accedunt tabulae II. aënea. Berolini.*

††) *Deutsches Archiv für die Physiologie, herausgegeben von Mekel, pag.* 644.

§ 27.

Phaenomena, sub quibus caries vertebrarum colli superiorum et praecique atlantis et epistrophei sese prodit, duce praeceptore meo D. *Rust* saepius observavi. Quamquam illa caries ex obductionibus jam bene nota sit, tamen quod sciam hujus mali decursus ab alio autore nondum descriptus existit. Haec fere dixit. *) „Caries vertebrarum colli tribus vicibus observata est. Exitus semper erat funestus, et memoratu dignum ex sectionibus idem semper apparuisse. Ubique inter oesophagum et vertebras colli major vel minor puris aut ichoris quantitas effusa, et in vicinitate atlantis aut epistrophei periostium et ligamenta articularia horum ossium destructa erant. Sedes hujus mali primaria semper inter articulationes occipitis cum atlante, inter hunc et epistropheum reperiebatur: qua de causa destructio cariosa in condylis occipitalibus, atlante, et processu adontoideo, quam maxime extensa inveniebatur. Vicina etiam organa nobiliora morbose affecta conspiciebantur. Circa foramen magnum ossis occipitis, in dura matre et cerebro ipso maculae lividae, caeruleae, gangraenosae, et perforatae reperiebantur. Substantia cerebri et medulla spinalis saepius alienatae et puris atque ichoris invasione plus minusve arrosae erant. Praeterea observandum, destructionem ossium et omnium partium vicinarum in sinistro corporis latere majorem, quam in dextro animadversam esse.

Hanc cariem non tam raram esse quam omnibus creditum. Tamen morbum saepissime ignorari, quamquam ejus signa sat lucide procedant. Pathognomonica haec fere sunt: Aegrotus saepissime habitum scrophulosum valde evolutum prae se fert; de gravissimis et perseverantibus capitis doloribus praecipue in occipite positis, et nonnullis horis, imprimis vero quovis capitis motu

---

Tomi primi, os occipitis delineatum est, de quo haec dixit. Fig. 37 „ist der vordere Theil eines Hinterhauptbeines von unten angesehen, merkwürdig wegen der Anwesenheit eines dritten mittleren Gelenkfortsatzes zwischen den beiden gewöhnlichen, die hier etwas kleiner als gewöhnlich, aber beträchtlich gröſser als der mittlere sind.

*) Salzburger medizinische chirurg Zeitung, Jahrgang 1813. B. 3. S. 108.

valde ingravescentibus, conqueritur. Nimii, capitis oneris sensum habet, eaque de causa occiput semper retro et ad unum latus conversum, et immobile in hac directione habere, coactus fuit. Angina saepius rediens, raucedo, deglutitio impedita et respiratio difficilis suspicionem inflammationis oris aut faucium, de qua tamen diligentiori disquisitione nulla vestigia deprehenduntur, movent; et hac de causa illud malum pro rheumatica affectione habetur, quod vesicans in nucha vel circa collum omnia fere symptomata mitigat. Rigor capitis deinde increscit, atque hoc plane immobile nec flexionem nec rotationem admittit. In hoc rerum statu, et sub perpetua phaenomenorum supra enumeratorum vicissitudine aeger sapius quosdam adhuc menses transigit; et moritur aut inopinate et subito, aut voce jam amissa atque extremitatibus superioribus paralytice factis, ad quem tamen usque gradum aegrotus raro vitam perducit. An huic cariei mederi possimus? An non in initio mali, ulcera artificialia in nucha, setacea vel caute adplicatum candens ferrum auxilio sint, experientia dijudicabit.

§ 28.

Observationes praeceptoris mei seriores haec fere exhibent: Fonticuli et setacea in cervice morbi decursum retardare videbantur, et manifestam symptomatum remissionem efficiebant. Dolor in occipite, qui haud raro usque ad frontem se extenderat et caput quasi in orbem incluserat, facilior reddebatur, deglutitionis molestiae magnopere levatae sunt, etc. etc. Destructionem vero cariosam arcere, morbi transitum in plenam destructionem impedire, resorptionem particulorum ossium morbosorum et hoc modo sanationem parare, non valebant. Plura vero de hoc remedio speranda essent, si hoc malum per causam localem e. g. vim mechanicam adductum, non ex organismo omnino laborante originem suam duceret. Onera sat gravia capiti imposita certe causam praebent frequentissimam, quae jam re ipsa saepius vero dispositione universali adjuta hunc morbum excitant. Cachexiam scrophulosam huic destructioni ca-

riosae saepissime principium praebere, sex casus deinceps observati et obductiones ex quibus idem apparuit demonstrare videbantur.

Primo semper articulationes occipitis cum atlante, et hujus cum epistropheo affectas vidimus, uti morbus omnino, ejus vi destruente in ossa directa, praecipue articulationes et systema synoviale in aliis etiam corporis partibus invadit. Certe vero per alias, vertebras colli infestantes potentias nocivas, haec caries excitatur, et interdum arthriticae, syphiliticae, rachiticae vel aliae adhuc materiae nocenti, originem debebit. Semel hanc ex causa rheumatica natam, et iterum ex effectu mechanico vidi. Symptomata in morbi progressione eadem fuere, quae jam prius apud aegrotos scrophulosos observata et descripta sunt.

§ 29.

In eodem nosocomio vidi hominem viginti quinque annorum, qui in pueritia post refrigerationem de doloribus in nucha violentis conquestus, magno tantum cum labore se erigere poterat, dum ambas manus ad occiput illatas, ibi imponebat. Caput multo plus gravatum sensit et quodammodo pectus ab orbe arctissime esse circumdatum opinatus est. Aliquo tempore praeterlapso, caput prorsum et versus sinistrum latus, evanescentibus in nucha, capite et pectore doloribus, trahebatur. Sed in cervice, in regione atlantis et epistrophei durus tumor ortus, capitis ad latus sinistrum tracti mobilitatem valde impediebat, ita ut haec a ceteris vertebrarum colli articulationibus perfici videretur.

Apud duos aegrotos paulo ante mortem abscessus in cervice formati multum ichoris ediderunt. Vitam ad finem perduxere eodem tristi modo, de quo jam locuutus sum. Sectiones nil novi edocebant.

§ 30.

D. Prof. *Raimann* *) historiam morbi enarrat similem illis, quos D. *Rust* debe-

*) Jahrbücher der östreich, Monarchie 3. Band. 1. Stück. S. 43.

debemus. Haec fere est: Sartor post refrigerationem dolores pungentes atque trahentes in cervice e regione temporum lateris dextri usque ad arcum superciliarem se divaricantes, tum in regione ossis sacri et in femore sinistro conquestus est. Illi sensimsensimque increscebant, hi vero rari et mediocri gradu apparebant. Dolorosi in nucha loci, ab occipite usque ad quartam colli vertebram, paululum tumidi satisque tensi erant, sine ulla alia mutatione manifesta. A contactu digiti parum dolebant et nec inde impressio hic remanebat. Caput collumque inflexibiliora adhuc reddebantur, et in dorso decubitus sine subitanea dolorum augmento non mutandus. Alternante levamine et dolore increscente in collo et capite morbus per duos fere menses uti rheumatismus chronicus interdum febriculosis diaphoreticis solitis tractabatur. Tandem caput magis magisque prorsum et ad latus dextrum inclinabatur. Doloribus perseverantibus, paene somni expers, et frustra sudoribus obortis aeger cachecticus vitam, praeterlapsis novem mensibus aerumnosis, convulsionibus affectus finiit.

Obductio haec exhibuit: Musculi cervicales erant incolumes, ligamenta et periostium in supremis duabus colli vertebris in latere dextro fere a medio arcuum posteriorum usque ad processus transversos destructa, margo inferior partis lateralis primae vertebrae a carie arrosus, et pars lateralis dextra arcus posterioris vertebrae secundae a margine superiore maximam in partem a carie destructa, reperiebatur. Per hoc spatium tali modo ortum, medulla vertebralis cum integumentis forma et magnitudine ovi columbini, sine diminutione voluminis in canali vertebrarum cervicalium foras expulsa erat. Similia sed minoris mensurae in sinistro latere adparebant.

§ 31.

Tandem observationes duas Doctoris *Schalgruber* *) breviter adlatas da-

*) Wiener Litteratur-Zeitung. Jahrg. 1813. 3 B.

bo B. S. octodecim annos nata, a matre infirmae valetudinis et syphilitidis suspectae lactata, morbos quibus infantes laborare solent sine magnis molestiis, perpessa, a tenera aetate assimilationem morbosam, cum colica, alvo viridi, et convulsionibus praebuit. Nona post partum hebdomade, in latere sinistro laringis tumor exortus est durus, qui adhibitis medicaminibus variis, praecipue fomentationibus calidis emollientibus pus collegerat, atque sponte apertus sanuit. Quaevis dentium eruptio convulsionibus comitata affectiones abdominales auxerunt. Postea achores in capite efflorescebant, contra quos medicamentis aliis iam tentatis, aqua frigida in usum vocabatur. Impetigo evanuit, sed alius in collo apparuit tumor, qui pure collecto, cultro aperiebatur. Puella deinde, excepta corporis justa evolutione, satis bona valetudine usque ad annum decimum quintum fruebatur. Qua aetate saepius doloribus capitis sine manifesta causa obortis excruciata est, qui, licet medici omnia conati essent, nunquam penitus evanuerunt. In occipite tumor ortus sensimsensimque in nucham descendere, partes colli laterales tentare, capitis motus difficiliores reddere, caput ex obliquo dirigere, et tandem ad latus sinistrum trahere coepit. Quo in statu anno MDCCCXI in nosocomium decrepitorum translata est.

Organisationem, quam alias cum hac aetate conjunctam invenimus, retardatam prae se tulit. Cutis flaccida, musculi laxi, calor faciei pallidus, et ejus lineamenta sine valore, nasus compressus, caput cretiniformis; mens hebes, dentitio nondum perfecta, digestio difficilis, alvus rara, pulsus debiles, molles parum frequentes, molimina menstruationis adhuc nulla. Tumor in nucha prius tangenti durus offerebatur; deinde vero dolorosus, mollis et fluctuans apertus est, secundum regulas quas ars nobis suppeditat. Magna fluidi lymphatici quantitate evacuata, ulcus consanuit. Fundus vero tumoris durus: vox adhuc illaesa: deglutitio autem molesta. Serius aegrota de doloribus continuis pungentibus in sinistra pectoris cavitate inter tertiam quartamque costam veram, qui nunquam penitus sine manifesta febri

cessaverant, conquesta est. Nocte ex XX ad XXI Junii symptomatibus apoplexiae obortis paulo post animam efflavit. Dum aegrota in hoc versaretur nosocomio medicamina interne nulla sunt adhibita.

Obductione facta inter duram matrem et arachnoideam multum aquae repertum est, nec non in cerebri cameris. Cerebrum bene formatum. Foramen occipitale aliquantulum solito angustius. Processus odontoideus facillime mobilis. In utroque latere paululum incrassati colli et nuchae permulti videbantur meatus fistulosi, qui musculos pallidos maceratos fere et partim in massam pinguedini similem mutatos permeabant. Processus transversi vertebrarum colli in latere dextro usque ad sextam, in latere sinistro ad quartam usque carie correpti. Corporibus harum vertebrarum idem contigerat. Arcus epistrophei in dextra parte prorsum a corpore, et ab altera arcus oppositi parte, retrorsum carie soluta erat, et inter partes molles libere haesit. Atlas eadem ex causa in arcuum suorum medio fractus versabatur sine vinculis intra musculos. Cartilagines articulorum ossis occipitis et ipsa ossa hic et aliis locis arrosa erant. Medulla spinalis exiens ex occipite iusto minus crassa. Pus in cavo thoracis adeo effusum conspiciebatur, ut incisione per cartilagines costarum, iam prosiliret. Hic abscessus in thorace exitus inflammationis erat, quam dolor fixus ac pungens indicaverat; cuius quidem inflammationis nervus etiam vagus, qui iuxta vertebras decurrit, particeps fuisse videtur.

Altera observatio de carie vertebrarum colli fere haec est: Anna F. aetatis XXV annorum, parentibus sanitate firmis nata, morbos infantiles leviter perpessa ante nuptias munus ancillae administravit, et onera sat gravia in capite tulit. Mense Decembri anni MDCCCXII. valetudine minus commoda, levem in nucha ardorem, et quando caput vertere vellet, exiguas et mox evanescentes sentiebat dolores. De VIto Junii MDCCCXIII caput sensimsensimque ad latus hoc modo trahebatur, ut facies in humerum sinistrum verteretur. Die XXI Septembri in nosocomium recepta. Haec morbi fuit conditio. In cor-

pore robusto atque bene nutrito omnes functiones sic dictae naturales optime procedebant. Color faciei vegetus, mens sana et hilaris. Deglutitio interdum difficilis et dolor in nucha vehemens observabantur. Nullius in caput per ictum, plagam aut casum illatae violentiae recordabatur; attamen eam non fugiebat, se, antequam doloribus iu capite et nucha ortis cum ei, grave onus in capite gestanti quidam a tergo acclamasset, capite cito ad latus converso, ingratum habuisse sensum. Cum aegra dixisset, se quasdam hebdomades ante receptionem in nosocomium febri cum doloribus in occipite et nucha junctis, laborasse: putabatur hunc morbum rheumaticam vel arthriticam complicationem participare, et hac de causa medicamina illam impugnantia ordinabantur. Sed frustra. Deglutitio vel molestior facta. Tum in ossibus morbi sede quaesita et illo pro luxatione habito placuit, per repositionem non sine doloribus vehementissimis et manifesta in ossibus crepitatione iustam capitis directionem, et deglutitionem liberam restituere. Ab hoc temporis momento necessarium erat, ut aegrae, e lecto cum duceretur, plures opem ferrent, quorum unus Caput in situ suo servaret, quod quasi abruptum, ut ita dicam, apparebat. Die VII Octobri extremitates paralytice afficiebantur, et deglutitio adhuc molestior reddita est. Omnes aliae functiones adhuc bene procedebant, mens in consueta hilaritate permanebat, dolor tantum in nucha nondum exierat. Die XXIV Octobri liberam extremitatum mobilitatem denuo acquisiverat. Calor atque sensus in rationem iustam redierunt, deglutitio etiam minus molesta dolorifica observata. Die XXVIII. sensus atque motus iterum aboleverant. Ultima mensis Octobris die, mente hilari subito, et sine ullis aliis symptomatibus novis mortem obiit.

Per obductionem in hoc etiam casu tum inter duram matrem et arachnoideam, tum in cerebri cameris aquae copia fere eadem detecta est. Cerebrum optimam prae se tulit conditionem, et structuram insignem. Pharynx iusto plus incrassata in pariete anteriori paululum decolorata. Ex bursis mucosis

puris guttulae quaedam exprimebantur. Paries posterior leviter in superficie excoriatus colorem obtulit subcaeruleum. Pharynge amota inter primam et secundam colli vertebram magna adparuit lacuna. Arcus anterior atlantis in plura segmenta parva, et posterior in duo disrupta erat. Ligamenta articularia inter has vertebras ambas diruta et superficies articulares per cariem erosae; item processus transversi. Processus odontoideus in epistropheo quasi serra desectus fere in medio foramine occipitis adparuit. Ligamenta quae vertebrarum corporibus sic dictis conveniunt, revulsa, quo modo foramen magnum ossis occipitis adhuc magis coarctatum. Musculi parvi inter occiput et superiores colli vertebras marcidi fere macerati erant. Medulla spinalis etiam mollior videbatur.

His morbi historiis tres adhuc, quas ipse observavi adjicere possum. Sed nolo esse longus, et unam ea de causa solummodo in fine opusculi mei adferam, illam enim, quam quidam nobis paraverat, cuius vertebras colli superiores morbosas ipse servo. Diagnosi nunc fusius explicanda rem ita perspicuam facere puto, ut dignitas propositi postulat. Plura quae in casibus modo enumeratis non sat distincte elucent, ex opinione mea mox illustrabuntur.

Sectio tertia.

De luxatione atlantis et epistrophei in specie.

§ 32.

Oritur enim quaestio, harum quam modo narravi, morbi historiarum, annon in communi quodam processu causa sit posita. Quamvis enim illae morbi formae non ubique continua constitutione cohaereant, possunt tamen transitus quidam ex homogeneis in heterogeneas demonstrari. Mihi quidem inflammationis processus statim se obtulit in quo initio, omnes continentur effectus, et qui postea demum in aliis aliam induat speciem, aliosque fines habet. *Rei-*

, beatae memoriae, quoscunque a §. 20—26. citavi casus, a vertebrarum inflammatione proficisci censuit *), quam verissimam opinionem exemplis probavit propria experientia factis.

§ 33.

Si vero cuiusvis morbosae metamorphoseos organi in inflammatione quaerenda est causa, e qua deriventur nutritionis et vegetationis morbi, sponte iam patet, quanta esse debeat malorum manus, quibus ossa earumque articulationes, orta inflammatione, afficiuntur. Etsi autem nonnunquam chronici morbi inveniuntur, in quos saepe inflammationem exire observatum est, qui liberi nequaquam dependent a praegressa inflammatione, redeunt tamen hi morbi saepe in inflammationem, ut plura exempla vidimus in indurationibus etc. et tum in alio citius, serius in alio, eadem conspiciuntur phaenomena **).

§ 34.

Inflammationem vertebrarum colli non immerito largum quasi fontem dixeris plurium cervicis malorum. Itaque si iam inflammationem spinae dorsi non inepte dixerunt crudelem morbum ***), quanto gravius idem hominibus esse debet malum, in quibus atlantem et epistropheum, quos facile columnae vertebralis radices vocaveris, occupavit et hinc pestiferam vim suam in propiora et remotiora exercet organa.

§ 35.

Cum in quavis inflammata parte agendi vis crescat, et vegetatio augeatur sanguine celerius affluente, qui celeriorem etiam commutationem organicae ma-

---

*) loc. cit.

**) Es geschieht ja keine pathologische Reproduction in unserm Körper ohne Entzündung und Eiterung; diese grofse pathologische Schöpfung ist Produkt derselben. *Hufeland's* Pathologie I. B. Jena 1799. S. 111.

***) Hippocrates de morbis. Lib. III. Belon. Lib. de pleuritide dorsali. Op. omnia medica Tom. IV. p. 289. Allen Synopsis universae medicinae practicae Pars I. 165.

teriae excitat, non raro ipsis oculis mutationes mixtionis conspiciuntur inflammataque ossa cartilagines et ligamenta laxiora videntur. Eadem molliora fiunt, intumescunt, et volumine hac ratione aucto, quod ut vis formativae aberratio functionem etiam organi impedire necesse est, factum videmus, ut ossa articulantia a se invicem differantur, eorum situs a normali aberret, in unum alterumve latus incurvatus appareat, non sine variis aut propinquorum magisque in oculos cadentium, aut etiam remotorum organorum symptomatibus, donec aut regressiva metamorphosis in processu inflammationis in feliciorem exitum inclinet, h. e. discutiatur, et harmonica restituatur actionum vitalitatis in affecto organo ratio, aut inflammatio in uno eorum quod effecerit, evanescat. Quod si aut in sempiterno massae ossaceae incremento, aut in eo versatur, ut proxima ossa implicentur, vel in maxime sinistra directione artuum plus minusve turbata, nullum vitae discrimen imminet. Sin contra suppuratio oritur, quae in ossibus, uti dixi, tanquam caries manifestatur, si ossa, cartilagines, ligamenta, et organa molliora quae circumiacent, destruantur, et hac re illa ita a se invicem dirimuntur, ut sine ulla interdum iunctura iaceant, tum plerumque fere, nisi forte affecta organi pars operationis usu ex organismi orbe dimoveatur, tum inquam plerumque inter hecticam febrem mors nascitur, cum vix nostra sit potestate, ut eas causas, quae localiter effectus suos exercere pergant, removeamus.

§ 36.

Ut autem in spontanea luxatione in suis stadiis quaedam observantur proprietates, sive mutatum affectorum ossium situm sive genus articulorum, sive gradum secessus, sive tempus sive directionem spectes in quam se ossa dimoverint, sive functiones turbatas sive plus minusve simul affecta propinqua organa consideres, ita etiam in articulationibus duarum superiorum colli vertebrarum nonnullae erunt proprietates. (§. 4.)

§ 37.

Iam quo possit facilius universus huius morbi cursus perspici phaenomenologiam fusius describere conabor. Iis innixus exemplis morbi, quae antea et potissimum §. 24—29. attuli, praesertim, quod maximam partem eadem ego observaverim. Phaenomena ita ibi descripta sunt, ut natura conspicienda se offerunt, non ut ex rationibus colliguntur. Cum autem in tanto naturae ambitu, hoc primum menti observantis impositum sit negotium ut phaenomena ipsa observet, quod ex his rerum natura possit perspici, atque cum ex symptomatum notione morbi existat notio, liceat jam mihi hanc aliquanto fusius explicare. Sed cum haec sit unica via, qua omnia, quae in quacunque re contineantur possint detegi, ut omnia singulatim distinguantur, illud malum ad certa stadia describam.

Diagnosis.

Stadium primum.

§ 38.

Quandoquidem inflammationis ossium diagnosis maximam partem est difficilis et lubrica, adeo ut in ossibus profundius sitis, possit tantummodo divinari, saepe tamen, cum ossium inflammatio, nisi mechanica vi nata sit, raro nullis praegressis morbis oriatur, in diagnosin adducimur, si effectus inflammationis ossium se ostendunt.

Aeger conqueritur de doloribus in nucha terebrantibus, fixis, ardentibus, nocturno tempore exacerbantibus, qui, si aegroti sensui fides habenda, in ipso osse sedem habere videntur, et super dorsum ad crura usque porrecti sunt; motus capitis difficilior, praesertim ille circa axem dimidium; cervice gravius pressa ingratissimum percipit sensum; deglutitio saepe difficilis, quamvis ore dili-

diligenter inspecto nullum morbosi vestigium: reliquae functiones, ni forte aliud malum oriatur bene progrediuntur. Tempus hujus spatii variatur inter unam hebdomadem et plures menses. Si acutus decursus: tum dolor in affecta parte vehemens, pungens, torquens, neque multo post maior existit intumescentia, angina, et febris. Sin vero chronicus, tum symptomata non ita acria sed tardiora ingrediuntur: nonnunquam aliquod tempus intermittunt et rursus incertis temporibus, nullis cognitis causis redeunt. Sed ipsa haec intermittendi ratio aegrotum non ita sui status anxium reddit, et saepe minime suspicatur, quantum sibi impendeat malum.

Si contra morbus in felicem exitum inclinatur, in resolutionem dico, tum doloribus paulatim diminutis libera mobilitas sensimsensimque redit. Non dubito quin hoc malum rheumatismo chronico musculorum colli tam simile saepe inveniatur, et saepius quam vulgo creditum.

Recta adhibita sanandi methodo aut etiam solius naturae sanantis conatibus saepe aegroto nescienti tam prospera contigit sors, qualem ipse nequit mente concipere. Nonnunquam relinquitur turbata mobilitas capitis sine ullis mutationibus formae, quod atlas cum osse occipitis et cum epistropheo coalescit *).

Quod stadium ut possit accurate distinqui a sequente, non alienum erit, ejus cursum eo usque extendere, donec vitia in directione capitis prodeant. Ad hoc usque momentum caput sine ulla in aliquod latus inclinatione parum mobile requiescit in fulcienda vertebrali columna.

Stadium secundum.

§ 39.

Progrediente morbo, noctu saepe redeunt dolores vehementiores, quos vel levior pressio cervicis repente excitat: caput perquam obnubilatum,

*) Jacoby Thiensii van de Wympersee Dissert. med. chirurg, de Ancylosi. Lugd. Batav. MDCCLXXXV.

oculi rubentes, vox nonnunquam rauca situs aegroti in lecto vagus, ambulatio pedibus, maxime autem curru molesta: neque facile corpus in planum porrectum in sedentis directionem erigitur, imo fieri hoc nullo modo potest nisi collo immobili. Mox caput fulciri debet cervicalibus, quamvis ne his quidem quies semper paretur.

Quod recto et rigido fere collo antea nitebatur caput, jam cum doloribus aut retrorsum aut in unum latus propellitur aut in dextrum, aut in sinistrum simulque in pronum, et in id quidem latus, in quo malum vel non, vel in minori tantum gradu versatur, dolores non ita saevissimi sunt. Nonnunquam intensio quaedam et difficilior motus omnium partium in eo corporis dimidio deprehenditur a quo caput declinatum est. Neque raro in cervice tumor surgit, doloribus non vacuus, elasticus, nullis finibus circumscriptus, aequus, qui in mollioribus quidem cervicis partibus sedem suam fixisse videtur, qua tamen diligentius inquisito intumescentiam et declinationem vertebrarum in profundo animadverteris. Si caput retrorsum perquam inclinatum et affectus anginosi vehementes sunt corpus epistrophei intumuisse, et in pronum propulsum esse sentis. Noctes sine quiete, somnus somniis exterritus, appetitus deficere incipit, lingua interdum muco obducta, deglutitio difficilis: caput aegroto tanquam ferreo cingulo inclusum videtur quod vel levissimo motu acriter pungentes excitat dolores. Ipsa etiam respiratio nonnunquam doloribus non caret pungentibus aut molestior redditur; tanquam onus pectori impositum impediat, quo minus thorax libere producatur. Imo nonnunquam levior quaedam pleuritis oritur, quae saepe rediens magni discriminis esse videtur. — Frequens tussis sicca cum sensu pruriente in larynge observatur. Inter haec omnia, quibus iterum mensis et quod excurrit compleri potest, caput magis semper in unum inclinatur latus, neque ullis laboribus caput in pristinam restituitur directionem.

Hac directione capitis in unum latus et antrorsum aut retrorsum decla-

ratur completum alterum stadium. Nascitur itaque haec incurvatio tum demum, si majora jam internaque orta fuerunt vitia.

Hoc stadium cum illo coxalgiae, in quo pes longior evadit non inepte comparaveris. Jam quae in aliquam partem intumuerant ossa, cartilagines et ligamenta quo se extendant, spatium invenire nequeunt, nisi quae adhuc liberiores et mobiles sint partes propellendo et ita in eam partem caput premendo in qua nulli sint parasitici tumores.

His secundi stadii signis, ubi morbus non exstinguitur rectaque omnium partium ratio, quantum fieri potest restituitur, alia, ob hanc semper progredientem metamorphosin in qua unus idemque morbus diu versatur, efficiuntur signa quae tertii stadii indolem indicant.

Stadium tertium.

§ 40.

Deglutitio difficilior fit, respiratio molestior, tussis frequentior, neque raro cum purulentis sputis conjuncta. Congestionibus in caput ut hoc semper obnulilatum est quodammodo, efficitur: macies increscit: tumor in nucha de quo iam sermo erat parum fluctuans factus: dolor in cervice fere adsiduus, corrodens et terebrans: noctes sine quiete in statu semierecto transiguntur, somnus non recreat: caput antea in aliquam partem cum dolore et difficili motu propulsum denuo in primo affectam partem rejicitur. Digitis cervici impositis, si leniter caput movetur, stridor persentitur aegroto perquam incommodus. Quem tristem ut prohibeat aegrotus, omnes intendit vires, ut caput in pristino servet statu, qui si forte mutatur, aut si eam in partem caput deprimitur, quae proprie est affecta, saevissimos per totum corpus penetrantes persentit dolores. — In columna vertebrarum colli, quae antea praeter illum in cervice locum erecta erat, sensimsensimque aliae etiam observantur incurvationes, quae ex prioribus

necessarie orti itidem levissimo jam tactu dolores excitant gravissimos. Caput ingravescit, neque facile extollitur; nisi manibus occipiti impositis ita ut truncus quam fieri potest rigide collo et capite teneatur. Inter perseverantes maximosque dolores, somnum rarum, inutiles et frequentes sudores, amissamque vocem, debilitas sensuum et motus in unum aut in utrumque corporis latus a collo deorsum semel iterumque cum redeunte sensuum motusque potestate alternat *neque raro* post deliria et convulsiones mors ipsa et quidem repente succedit capite leviter moto.

Hoc stadium illi in coxalgia, ubi extremitas luxata altera brevior redditur, simile invenies. Sicuti enim os femoris in articuli fovea totum egressum aut ossis collum propter destructionem eius capituli in acetabulum nonnunquam suppurans profundius ingressum, pedis mutilationem producit: eodem modo caput nunc propter detumescentiam tumoris inflammatorii in alteram et re vera affectam partem reiicitur.

Stadium quartum.

§. 41.

Sed nonnumquam et paucos quidem ante mortem dies status offertur tristissimus maximeque miserandus. Tumor in cervice vix antea notatus celeriter increscit, purpureum et lividum assumit colorem et sive uno sive pluribus locis erumpit. Quem quidem non semper inventum statum, extremum dixerim stadium. Juncturae ulceribus plus minusve exstinctae nec capitis nec cervicis motus coercere amplius valent; vertebrae cartilaginibus privatae atque arrosae capitis onere eo facilius juncturis suis dissolvuntur, quod adjuvans aliquantum musculorum paries resistere potest. His extremis certe vitae diebus, aegrotus non audet dormire, quamvis hujus solatii maxime indigus. Ex brevissimo somno dolores eum excitant saevissimi, neque tristissimae sortis immemorem unquam esse patiuntur. Ne minimum quidem temporis momentum nascitur, quo

vacet doloribus. Nullo neque fulcro capitis neque corporis situ aliquam invenit requiem. Partim capitis pondus, quod musculis colli per tantum tempus defatigatis et penitus debilitatis sustinere vix amplius potest, partim vires inanibus sudoribus, alvo frequenti, hecticaque febri exhaustae, partim musculorum remissio, qua invitus plumbeo quasi corporis traditur oneri, nihil ei relinquunt, nisi dolorum atrocissimorum sensum. Jam quorum aegrotus curae traditus est, caput dirigendum suscipiunt: vocis potestas pedetentim decrescit: extremitates superiores et inferiores paralyticae fiunt, et quae in ore congeritur puris copia, hanc aeger vix exspuere potest. Ecce tristem misericordia dignissimam aegri conditionem, donec mors finem miseriis imponat.

§ 42.

Qui hunc morbum etsi semel tantum observaverit, satis eum tamen toti vitae observatum habet et cognitum. Nusquam memoria elabuntur totius aegri habitus et singularia oris lineamenta. Notatu minime indignum videtur, quotquot aegri, etsi diversissimis lineamentis donec bona fruebantur valetudine inter se differebant, quamprimum tamen ad tertium usque provecti essent stadium simillimos sibi apparuisse. Observatio medicae physiognomiae maxime utilis. Nam etsi concedamus summum doloris et tristitiae gradum, quem tam saepe redeuntem videmus, apud eos etiam, qui tranquillitatis speciem prae se ferant, lineamenta relinquere inexpugnabilia, inest tamen aliquid in faciei vi atque vigore, quod quamvis vix dici, sentiri tamen potet.

Frons contrahitur longioribus rugis, supercilia sibi invicem appropinquant, et inter se altum sinum relinquunt, oculi intus recedunt, et semiocclussis palpebris superne obteguntur. Vultus misericordiam provocat; alae nasi in altum trahuntur, et ipse acuminatur. Singulare inter os et nasum lineamentum coactu offendit. Labia distrahuntur, os distorquetur; maxilla inferior superiori semper inprimitur, ut dentes tangendo saepe strideant. Quisquis fere faciei musculus intentus videtur, uti apud homines in tetano lacrimantes.

§ 43.

Sectionibus inventum est, corpus macie absumptum, colore subflavo: in cervice quado morbus ad quartum usque stadium provectus erat, fistulosa ulcera: cariosa exstinctio facierum glenoidalium inter occiput, atlantem et epistropheum ad tertiam interdum quartamque colli vertebram extensa. Processus odontoideus non raro quasi serra dessectus in medullam spinalem depressus deprehenditur. Foramen occipitale non raro coarctatum; atlas aut epistropheus et nonnunquam uterque in plures partes fractus; pus invenitur in cavitate medullae spinalis et in exteriori vertebrarum parte, inter musculos ibi affixos circumfusum: oesophagus et trachea corrosi.

§ 44.

Quaecunque ex curvatione colli oriuntur mala, non in eas solum, quibus collum constituitur partibus vim suam exercent, sed totum etiam corpus petunt. Medulla enim spinalis, si excipias sensuum organa et stomachum, quae a cerebro animae sede imperia accipiunt, omnibus corporis partibus vitam impertitur, quod in omnes imperii sui regiones, nervos tanquam radices sceptri medullosi emittit. Quantum inde esse debet damnum quod a medulla spinali tam alto loco affecta totius corporis oeconomiae infertur! —

Praetereundum non est, quod hoc malum tam saepe cum pure in pulmonibus coniunctum invenimus. *Hippocrates* *) quidem tuberculos in pulmonibus a luxatione vertebrarum colli diduxit: Deflexa, inquit fere, maiori vertebra e loco suo ejusmodi hominibus collum contingit amplius et prominentius, quam vulgo in hominibus bonae valetudinis deprehenditur, neque raro tuberculi tum videntur et obstructiones in pulmonibus. Hujus *Hippocratei* loci *Mercurialis*, qui distorsionem vertebrarum colli a tuberculis pulmonum derivavit, nequaquam videtur percepisse potestatem. *Petrus Frank* **) quamvis minime affirmari posse

*) De articulis.

**) *Joh. Pet. Frank* kleine Schriften, Wien 1797. pag. 303.

putet, illarum spinae dorsi incurvationum, quae cum paralysi extremitatum conjunctae sint, plerumque in tuberculis pulmonum originem esse quaerendam, atque hoc, ne de innatis quidem ejusmodi tuberculis dici velit: altera tamen parte glandularum obstructionibus, quae facillime in inflammationes chronicas supurationesque diuturnas transeant, atque propinquis articulationibus et ossibus tanti discriminis sint, non semper putat omnem orientis luxationis aut contortionis spinae dorsi abiudicandam esse causam.

In iis exemplis quae § 27 — 31, tradidi superiorum multo prius quam inferiorum extremitatum paralysin observatum vidimus. *Frank* contra non minus, dicit, mirabile est, aeque notatu dignum, incurvationes vertebrarum ex causis antea memoratis ortas, etsi in suprema colli vertebra inveniantur brachiorum tamen multo rarius quam pedum excitare paralysin.

Qui nonnunquam per vices in paralyseos locum succedit atque iterum finiit articulationum motus, ejus certe causa in pressione nervorum et medullae spinalis alternante cum fine pressionis mutato capitis statu quaerenda videtur.

§. 45.

Neque nullius momenti esse possunt, damna quae talis vertebrae exstinctio iis parantur arteriis et venis quae spinam dorsi comitantur. Videndum enim est, an sempiternus, saltem ex parte inflammatorius vertebrae status, tandem, quae per eius arrosos canales (nempe per foramina intervertebralia) transeunt vasa sanguifera corripere non possit, praesertim cum ille in extremo stadio cerebro ejusque membranis impertiri videatur. Observabantur deliria, et post mortem extravasatum in veniebatur inter cerebri membranas.

Cum maxima sit, atque gravissima potestas, quam sanguis recte in vasis intervertebralibus dispartitus, in universum exercet organismum, eiusdem distributionis ne minima quidem inaequalitas fieri nullo modo potest, quin majores turbas relinquat. Ex immodice impeletis vasis inter vertebralibus, saepe orti videbantur lumbago idio-

patica, convulsiones, stupor, paralysis extremitatum inferiorum imo epileptica convulsio totius corporis per omnes ejus partes extensa. Quorum tamen idoneam causam non etiam in systemate nervoso positam esse, quis non cognoscat? — In nostro certe loco ubi medulla spinalis ibidem eademque tempore affecta est, definiri facile nequit, utrum symptomata ex irritabili an ex sensibili orta sint systemate.

§. 46.

Nullum equidem novi morbum, qui ei, quem modo descripsimus, si hic jam secundum attigit stadium similis sit, cum eoque confundi possit. Quod de rheumatismo musculorum cervicis supra jam disputavimus; quae tradidi symptomatica sufficiunt, ad distinquendum hunc morbum a quovis alio oesophagei et tracheae.

§ 47.

Intuentibus autem in varia a § 18 — 24 exposita exempla, eorum nobis aliqua offertur differentia. Jam ex diagnosi patet, stadiis diversis diversa etiam afferri phaenomena; varios ergo illos casus plus minusve ejusdem mali perfectas evolutiones sufficere. — Altera differentia in tempora morbi posita est. Hic celeriter finitur, illic lente transit. Anomalus hic vegetationis processus partim modo in quantitativa seu arithmetice mutata vi vitali quaerendus, partim propria quadam singularis qualitatis indole esse videtur, neque tam vitae, quam morbi leges sequi vitaeque finem efficere.

Denique est differentia, quae in directione capitis versatur. Inclinatio capitis ad latus fortuita est, et dependet a faciebus glenoidalibus unius lateris sive intumati sive exincti. — Ut caput retro reprimatur, collum vero propellatur, hoc a corpore vertebrae et his quidem casibus epistrophei *in totum affectae* dependet. Jam ex rerum natura patet vertebras eo declinari, ubi minime impediuntur, quod facillime anterius fit, ubi plura quidem molliora et laxiora, sed non tot adstricta et ligamentosa organa quam retrorsum, et ubi etiam

iam

iam processus spinosi sibi invicem appropinquando et vel se tangendo convexam directionem anteriora versus occupant. Dolendum sane est quam maxime, ex Hippocratis inde temporibus collectas non esse observationes in mortuis factas de deformitatibus columnae vertebrarum cervicalium.

At si proximarum colli vertebrarum una in superficie articulari simili morbo afficeretur? Differentiam aliquam invenire facillimum est. Jam e sola structurae contemplatione ceterarumque vertebrarum, quae animadvertuntur indicia, diversitatem constituunt. Liberiores capitis motus, locus dolorem creans, qui examinantis digito mox detegitur malo satis pernoscendo sufficiant. *Bonn,* *) *Schlichting* **) et *Stolte* ***) hujus loci casus commemorant.

Quaestio hic suboritur adhuc explicanda, nonne tum, ubi corpus vertebrae insignem tumorem patitur, similitudo aliqua inveniri possit, cum illis morbis, qui omnino magis ossium corpora quam eorum processus obsident?

§ 48.

Tandem dubitationes prolatae sunt contra maxime perspicuam anginae descriptionem, quae ex luxatione spontanea vertebrarum colli in partem anteriorem existit, quamque solus Hippocrates epidemicam esse observavit: opponebantur ei cum aliae rationes e doctrina petitae, tum quod tam violenter cervici illatum damnum fieri non possit, quin semper mortiferum sit. Sed cum pedetentim tantum hoc malum ingravescat, fieri etiam facillime potest, ut spina dorsi ejusmodi mutationes sibi paulatim succedentes patiatur.

§ 49.

Quibus vero non placeat descripti morbi nomen, luxatio spontaneae, neque omnino rei congrua videatur, his ex parte jam responsum est. § 11, V. ubi acurate distinguendum esse monui inter luxationem (exarthrema) et subluxationem (parathrema). — Quamvis autem spontanea luxatio, per se rectius

---

*) loc. cit. **) l. c. ***) loc. cit.

spectari debeat symptoma alius plus minusve jam constituti morbi, hoc tamen nomine et totus morbi decursus significatur, et perfecta ejus imago statim oculis observantis medici subjicitur. — Qui *Nuchalgiae* nomine hoc malum vocare velit, vereor ne hic nihilo significantius et definitius dicat, quam verbis coxalgiae, omalgiae etc. dictum est. Aptius magisque primarium malum significans verbum *ατλανταϱτϱοκακη*, vel brevius atlartrocace. *)

Verum quid tum, ubi malum potissimum Epistropheum occupat, eumque loco suo movet? Hic quoque vocabulo novo opus foret. — Sed nolo faraginem recentiorum vocum repetere, veteremque illam vocem, qua luxatio spontanea vel atlantis, vel epistrophei insignitur, aliis omnibus praestare credo.

Sed tantum abest ut de nomine litigem, ut potius in eo acquiescendum putem, si modo nomine rei tantum natura significetur: et utimur illo ut hujus universus ambitus cum aliis communicetur. Illa autem nomina *inflammatio*, *caries vertebrarum colli* certe singulis tandem stadiis conveniunt.

Actiologia.

§ 50.

Consideranti partes, e quibus componitur articulatio luxaturam perferens, primo jam adspectu patet, aut ossa aut quibus haec continentur ligamentis et musculis, primum posse affecta esse. Causa proxima inflammatio esse traditur, ut supra jam monitum, quae cum localis sit anomalia processus vegetationis, ubique et in quavi stabili parte innumeris modis mutata redire potest. Sed cum huic locali anomaliae aliquis tanquam focus opus sit, unde latius possit permanare, differentia nascitur inflammationis, quae ab ea, in qua invenitur parte dependet. Nam in iis organis, quae arctioribus finibus circumscripta sunt, hos non exedit fines; in amplioribus autem organis ita extenditur in-

---

*) *ατλας*, Atlas *αϱθϱον*, *ου* articulus, *κακην* malum.

flammatio, tanquam fines nulli essent. Quia autem universa vitalitatis phaenomena in ossibus tantopere abscondita sunt, fortasse etiam inflammatio inde maximam partem in iis cursu tam lente prorepente utitur. Proprie enim opus esset: inflammationes ossium in ea referri vasa, quae ipsa in ossium substantia continentar. Sed plerumque inflammatio etiam vasa medullae, membranae medullaris et externi periostii tangit, itaque tum inflammatio aut a periosteo cum ossibus aut ab ossibus cum periosteo communicatur. Ad morbum accuratius definiendum non inutile videtur adferre, semper fere hunc morbum in priori dimidio h. e. in stadio irritationis finiri atque in altero dimidio vel stadio relaxationis residua tantum absoluti processus esse oppugnanda.

§ 51.

Magna est vicissitudo, quae in inflammationis indole observatur, qua enim indole maxime coercetur inflammatio, quo minus sincera prodeat: de dyscrasiis loquor, in quibus concinnitas maxime memorabilis est, quae inter peculiares organi cuiusdam functiones et morbi naturam intercedit. —

§ 52.

Laxos ossium fines, cum processus etiam vitalis maior in his sit, quam in solidiori ossium substantia, per se iam inde patet, primos esse, qui morbosis illis mutationibus afficiantur et tantum crescente morbo corpora ossium exstinctionem experiri. Facile hinc explicari potest, quî factum sit, ut plurimi ossium morbi, qui quidem ex internis causis orti sint, artubus contineantur. In ligamentis autem, cum inflammatio tantum pedetentim per stadia sua transeat, eiusque finis saepe fluctuet, utrum discutiatur, an in suppurationem transeat, lympha exsudata certe saepius vel densitur, vel articulorum excitat hydropem.

§ 53.

Accedit huc fungosus quidam tumor artuum, sensim sensimque tantum nas-

cens, elasticus plerumque, plus minusve solidus, neque ullis circumscriptus finibus, non mutato cutis colore; fungum dico articulorum. Quidni hujus mali certus quidam gradus in artu etiam epistrophei cum atlante inveniatur et hoc in loco ossa inflammatîone afficiat, tandemque in ossium suppurationem etc. transeat?

§ 54.

Quod nonnullis in casibus omnes morbi nostri phaenomena celerius evanescunt, quam in aliis, eius origo in eo certe querenda est, quod prima causa universale quadammodo incommodum excitavit. Idem celer cursus post alios etiam universales morbos observatur, ut in metastasi febrium acutarum maxime exanthematicarum.

§ 55.

Inter causas occasionales referimus gravia onera in capite baiulata, — quare morbus noster in illis potissimum regionibus frequens, in quibus hic mos obtinet; — cervicem non quantum par est tectam, — quod *Mauchard* *) gravissime notavit — eamque saepius frigore tactam: omnia dyscrasiarum genera; ex statu rheumatico, arthritico, scrophuloso, syphilitico, de quibus iam disputatum est, tum epidemias: ictus denique et plagas, e quibus nullae oriuntur vulnerationes. Illas incurvationes colli, quae post convulsiones, mechanicos motus vulnerationesque vertebrarum colli oriuntur, harumque efficiunt aut destructionem aut concretionem etc. huius non est loci exponere.

§ 56.

Neque desunt tandem nonnulla exempla, in quibus excrescentiae osseae, a basi ossis occipitis provenientes atlantem ex loco suo movere potuerunt. Quam-

*) l. c.

vis mihi eiusmodi non occurrerint exempla, *Boyer* *) tamen nonnulla eorum collegit, quae aliquam a descripta morbi imagine habeat declinationem necesse est; — nam in omnibus illis quae antea memoravi exempla, morbus ex proprio sibi soli designato organo proficiscitur in eoque excolitur; in his autem extrinsecus aliena vi opus est, qua artus impellentur. Sed ipsa haec declinatio facit, ut aliquid singulare auguremur. Quibus vero eiusmodi malum intercedere soleat phaenomenis, ipse nusquam invenire potui, et in tanta eorum raritate vix puto cognosci posse.

Prognosis.

§ 57.

Nonnulla de prognosi in singulis iam monui stadiis. Cum enim luxatio spontanea ex universali dyscrasia saepius sequatur, hanc etiam patet esse emendandam, ut illa tollatur. Resolutio morbi, quae in primo stadio crebro occurrit, invenitur tantum in hominibus alias sanis, validis, in quibus ictus vel plaga vel frigoris vis orti mali causa et: si apte tractatur, fortuna favet et maxime ubi periosteum tantum non autem etiam substantia ossis inflammatione tacta est.

Inflammatione autem jam in suppurationem versa, caries ossis oritur, non dissimilis ulceribus in partibus mollioribus. Tum autem si usque iam progressus morbus internae causae vim suam exercent, de felici eventu, quo vita simul et partim laesa colli forma servetur, haud magna spes concipi potest.

Therapia.

§ 58.

Quaecunque de therapia dicenda habeo, maximam partem iam allata sunt. Mechanica quidem via nullam posse effici capitis restitutionem hoc per se pa-

*) loc. cit.

tet, ut argumentis non egeat. Huius enim auxilii periculum, si quis adhibere audeat, aeger saevissimis doloribus et celeriori morbi cursu luet. Initio morbi, si inflammationis phaenomena nimis crescant, methodus antiphlogistica non sine fructu in auxilium vocari potest; reliqua autem generalis tractatio, ut res postulat, instituenda. Qua de causa *Pet. Frank* Chinae decoctum ordinavit et balnea frigida: „quorum ope, inquit ille auctor *), praeter morem certe, tam brevi puella convaluit, et ad pristinam corporis decorem reducta est, ut dubitare debuerim, an natura magis, quae tam inopinatum morbum tam cito evolverat, an ars ipsa, spe omni citius, eundem re vera curaverit." Maxime dyscrasiarum rationes habendae, quibus occurritur medicaminibus sat notis. —

§ 59.

Ab omnibus vero localibus remediis plurimum fortasse sperari potest de ustione in primo certe, secundoque stadio. Quae enim tam repentina secretionis ex internis in externas colli partes derivatione efficitur colli inflammatio, tanta sane tantique roboris esse videtur, quae processum pathologicum prius ortum turbare, puris affectorumque ossium resorptionem efficere et concretione vertebrarum sanitatem valeat reducere. Videndum autem est, ne ferrum perfunctorie quasi, atque uni tantum loco imponatur, sed ad album usque candorem candefactum amplis ductibus super cervicem deferratur. Cui rei eligatur ferrum prismaticum ex auctoritate D. Professoris *Rust*, ut ardens calor contactu possit, et propria quadam distantia adhibitus, cum affectis partibus vim suam communicare. Hinc ducatur a cervice ad quintam usque et sextam colli vertebram in utroque latere prope a columna vertebrali ignea vibex, in eoque loco ubi mali sedes aut conjicitur, aut argumentis colligitur, altissime imponatur, ut large inde sequenda suppuratione, quae irritante deligatione imo imponendis alienis corporibus ali potest, diuturna efficiatur antagonistica revulsio.

*) Delct. opusc. Vol. V.

Tali curatione aegrotum, qui fere omnia quae in tertio stadio descripsi phaenomena perpessus iam erat, praeter exspectationem eo usque restitutum vidi, ut dolor localis, et universa conditio priori spatio similis redderetur, et morbus in curvationem colli in anterius et in latus sinistrum abiret.

§ 60.

Cum autem pus, quod pro malo fortuito, vi mechanica et chemica valenti haberi oportet, copiosius effusum fuerit, cum, inquam, partes duriores molli-oresque articulationum duarum colli superiorum iam gravius destructae fuerint, et totius organismi debilitas iam superior esse coeperit, ipsa profecto ratio resorptionis expediendae iniri nequit. Neque sanatio sperari potest, nisi mala, quae suppuratio conflavit, a partibus huic obnoxiis removeantur. Hinc videndum est, ut pus extra sibi viam quaerens quacunque ratione promoveatur. Verumtamen summa debilitas, quae iam sufficit, nec non articulationes intra molliores partes positae haud mediocris curationis admonent. Proinde haud alienum a re putarim, in media parte ustionis dicto modo effectae, si quidem fluctuatio certa appareat, ope lanceolae facta apertura, pus sensimsensimque elici et resorptionem reliquarum partium, sufficiente scilicet inflammatione, nec non concrescentiam abscessus parietum adiuvari. Ubi pus denuo suffecerit, et apertura forte coiverit, haec ipsa repetatur, cum ita forsan saepius prosper eventus rei respondere possit. Equidem aperturam leviorem idcirco suaserim, ut aeris ictus perniciosus prohibeatur, ne molliores partes aliquatenus sibi continuae, nimia vulneratione orta, laedantur et vetebrae vicinis partibus eas tuentibus priventur, et tandem ne nata ferro ignito ulcera premantur, cum hic ossa cariosa mechanica arte removere non liceat. „Stimulus enim ulcerum artificialium per proximos nervos immediate ad medullam spinalem originemque nervorum agens profecto plus ad medelam confert, quam mera plaga pure stillans, praeprimis cum incertum adhuc sit, an non aeque boni ac pravi humo-

res, sic bona mixta malis effundantur, dum natura humores haud ipsamet colavit." *)

Anamnesis.

§ 61.

Wolfgang Oker viginti quinque annos natus, Bavarus Gaichantensis sutrinam faciens, omnes morbos infantiles facile perpessus est. Decimum tertium agens annum cursu nimis celeri et mox subsequenti refrigeratione per aquae frigidae haustum pneumoniam sibi construxit, quem morbum decimo nono aetatis anno denuo pertulit. Uterque vero morbus brevi tali modo adjutrice medicina profligatus, ut nec minima observaretur bonae valetudinis turbatio. Mense Octobri anni MDCCCXVI in deglutiendo victu duriori de molestiis quibusdam circa laryngem conquestus est. Cineres tepidi per octo dierum spatium collo impositae deglutitionem aliquantum levare videbantur, dextrum tamen colli latus quovi deflexione valde dolebat. Aeger e fide superstitioso manu saliva humectata collum sibi strinxit nucham versus. Ibidem etiam dolores collocati, et quovi capitis motu adaucti, usque ad scapulam dextram porrigebantur. Deglutitio autem nunc sine molestia. Praeterlapsis quibusdam diebus dolores vehementiores facti, aegrotum cogebant, ut in lecto propter commodius capitis statumen requiesceret. Medio mense Decembri medicus in auxilium vocatur; praeter pillulas, quarum una de die sumebatur, unguentum adhuc ordinavit, loco molestanti illinendum. Sub horum medicaminum usu aeger aliquanto melius se habuit. Nescio cur, loco illius unguenti fomentationes tepidae humidaeque, omnia symptomata cito augentes, applicarentur. Caput hucusque recto et rigido collo insidens, nunc ante et ad latus dextrum incli-

*) *J. A. Schmidt* Commentarius de nervis lumbalibus eorumque plexu anatomico-pathologico. Vindobonae 1794. p. 91.

inclinabatur, atque pondere videbatur ita increscere; ut aeger, nisi illud manibus suffulsisset, vix se erigere potuisset. Adhibita unguenti cujusdam grisei parte exiqua molestiae tantopere mitigatae fuere, ut laborem consuetum inire posset. Nova quidem refrigeratio magnum mox fecit damnum. Liberi fere colli motus nunc graviter tollebantur et caput magis magisque dextrum versus latus inflexum ante deorsumque trahebatur. Nucha ne levem quidem contactum facile tulit. In dextra corporis parte nimia quaedam tensio et praegravis partium mobilitas adparuit. Tandem aegroto placuit, auxilium a nosocomio petere. Ibi die XVII Januarii receptus, medicaminibus diaphoreticis et vesicantibus in nucha tractatus est. Effrenate processit morbus. Capitis motus graviores, dolores in nucha saevientes. Praeterea aurium susurrus, sudores nocturni et levis sensorii obnubilatio, post brevissimum etiam somnum. Mense Februario refrigeratione in lecto vox rauca et debilis facta est. Sub initio Mensis Martii MDCCCXV. aegroto in mentem venit, auxilium chirurgicum implorare et nunc observationi meae a Claris. Prof. *Rust* commissus fuit. Ad status praesentis phaenomena rite dignoscenda haec memoratu digna mihi obveniunt: Aeger, temperamento phlegmatico praeditus, corpus offert emaciatum, cutem siccam, pallidam colore mox adaucto, mox imminuto. Situs tranquillus, semierectus, in latus dextrum non concessus, in sinistrum non nisi magno cum dolore nuchae et in dorsum sine magno incommodo permissus. Caput humerum versus sinistrum inclinans, per pulvinos in hoc situ anxie servatur. Facies ex obliquo prorsum conversa. Motus capitis, qui solummodo ab antica ad posticam partem possibilis multum facessit negotii et tritum vertebrarum colli superiorum tangenti digito offert. In exterioribus colli et nuchae partibus nil morbosi animadvertitur, si levem excipias tumorem cuti concolorem, mox in regione atlantis evanescentem, mox redeuntem et valde dolorosum. Facies est turbida, tristis atque pavida, oculi profunde siti tarde moventur; vultus moesti conscientiam miserae conditionis produnt. Respiratio sat tranquilla, minima

vero corporis motu celerior atque molestior. Tussicula brevi et in situ profundiore copiosiori, pus pituitosum exscreatur. Cibi cupiditas sat bona, deglutitio non impedita, vox debilis et rauca. Somnus brevis non recreans, mens nubila, sudores tempore nocturno frequentes et valde debilitantes. Aeger caput suum praegrave sentit, absque saevientibus in cervice doloribus se movere non potest, ac erecturus ambas manus caute adducit occipiti, illisque ibidem sollicite impositis, se uno eodemque tempore elevat cum thorace caput immobile tenens. Sedentem nunc fere remittunt dolores, caput vero in situ iam supra descripto remanet. Decumbens sustentat caput eodem modo. In quavis situs mutatione dolores atrocissimi, dentium stridor, et gemitus lenis adstantium misericordiam movet. Convulsiones interdum prorumpentes aegrum maxime excruciant.

Ex hac morbi imagine alterum luxationis spontaneae vertebrarum colli superiorum stadium versus finem vel atlantartrocace innotescit.

Ratione aetiologiae in rheumatismo causa remota apparet. Quod ad prognosin, exitus tristis impendet, nisi miraculo morbus auferatur.

Ad vires quam maxime erigendas methodo roborante et excitante usi sumus. Ea de causa victum bene nutrientem et ut alteri indicationi sufficeretur Infusum flor. arnicae, cum spirit. sol. amon. anisat. et syrupo corrigente ordinavimus. Tria in cervice creabantur ulcera attificialia ope Kali caustici.

De VIto ad IXmum. Obliqua directio capitis visus humerum sinistrum nanc eo mutata, ut illud sponte retro caderet, nisi ab aegno in situ indies molestior. Tumor in mucha extensior fluctuationem obscuram refert.

Die XIV. Motus brachii dextri impediti, quod et die XV. — sinistro accidit. Crusca adhuc mobilia. Diliria blande.

Die XVII. Martii aeger subito mortuus.

In cadaveris dissectione haec invenimus. Et tumore in cervice dississo magna profluit ichoris quantitas. Processus condyloideus ossis ossipitis, atlan-

tem et epistropheum huc habes delineatas vide tabulam. Juxta septimam colli vertebram latus versus dextrum ichoris accumulationem in canali pro medulla spinali usque ad quintam vergentem vidimus. Pulmo uterque cum pleura concretus, tuberculis et vomicis impletus. Pericardium cum corde concretum et hoc tantopere marcidum, ut digitis facillime laceretur. Nil in encephalo morbosi inventum.

Explicatio Tabulae.

Fig. 1.

Os occipitis.

a. processus condyloideus lateris dextri cariosum.

b. — jugularis ejusdem lateris partim cariosus.

c. — — — — partim volumine auctus.

d. fossa condiloidea cariosa, foramen condyliideum posticum abolitum.

e. foramen condyloideum anterius in ambitu cariosum.

f. pars basilaris.

Fig. 2.

Atlas a parte superiore versus os occipitis.

a. Facies articularis cum processu condyloideo dextro. (vid. Fig. 1. a.)

b. massa ossea effusa instar spinae ventosae.

c. pars cariosa.

Fig. 3.

Atlas a parte inferiore versus epistropheum.

a. superficies glenoidalis cariosa.

b. *c.* massa ossea effusa.

Fig. 4.

Epistropheus.

a. corpus hujus vertebrae in interna superficie carie arrosum.

b. superficies glenoidalis cariosa et cartilagine spoliata.

c. foramen ad meatum vasorum vertebralium in infima ejus parte pene destrusctum.

Tab. I

Fig. 1.




Fig. 3.




Fig. 2.





Fig. 4.



F. Guimpel del: et:

THESES.

1.

Terminus fistulae lacrimalis nulli morborum vias lacrimales occupantium convenit.

2.

Fistula sacci lacrimalis semper in praegressa huius organi inflammatione fundatur.

3.

Extractio cataractae reliquis hanc operandi methodis palmam nequaquam praeripit.

4.

Non existit operatio pupillam artificialem formandi methodus, quae ubique adhibenda esset.

5.

Amputationi membri virilis, deligatio ope instrumenti Graefiani praeferenda.

6.

Febris puerperalis morbus est propriae indolis.

7.

Semen plantarum conservat speciem, et gemma propagat individuum.

CURRICULUM VITAE AUCTORIS

E DECRETO

GRATIOSAE FACULTATIS ADIECTUM.

Ego *Antonius Ernestus Schupke* natus sum Vratislaviae die XIII Martii anni milesimi septingentesimi nonagesimi primi, patre cive honesto, et matre Rosalia, e stirpe Leschinski, quam proh dolor! iam praematura morte ereptam lugeo. Quasi iam ab incunabulis studiis humanitatis destinatus puer novennis in Gymnasium, quod Vratislaviae in aula Leopoldina florebat missus, primis scientiarum et artium rudimentis instructus sum. Inter docentium numerum *Rhedigeri*, *Scholzii*, *Bachii*, *Hausdorfii* nomina semper mihi pie veneranda. Horum virorum scholas per VII annos praeficisne dixerim ea diligentia frequentavi, ut testimonio maturitatis munito ad studia philosophica in alma Universitate Leopoldina transirem. Hyeme anni MDCCCVI propter urbis obsidionem multum miseriae pertuli, et ipse ophthalmia traumatica correptus fui, quae mihi per integrum fere annum ambiguam relinquerat oculorum valetudinem. Numero civium Academiae praeclare MDCCCVII adscriptus, studiis philosophicis nec non philologicis per duos annos incubui. Inter Cel. Professores, qui diversissimarum rerum docendarum copiam discipulis tradebant, mihi quam maxime venerandi, *Jungnitz*, *Heyde*, *Rohowski*, viri omni doctrina ornatissimi.

Anno MDCCCX ad studia medica nunc transiturus, anatomiae practicae per hiemem animum intendi duce Cel. *Hagen.* Sub finem hujus anni Vindobonam profectus, in Academia Josephina cursum medico-chirurgicum per biennium absolvi. In Anatomia et Physiologia a Cel. de *Scherer;* in Pathologia et

Therapia generali, nec non materia medica a Clar. *Raimann* instructus sum. Chemiam et Phythologiam docente *Zimmermannio* audivi, in Pathologia Therapiaque speciali, tum in praelectionibus clinicis *Castellizio* gavisus. Artem obstetriciam, medicinamque forensem *Guilelmus Schmidt* atque Chirurgiam Cel. *Zang* explanavit.

Insequebantur anno MDCCCXII Collegia in Universitate Vindobonensi. A Jacquinio docente Chemiam denuo audivi. Praxin medicam in Nosocomio duce Cel. *Goergen* medico primario per XVI menses exercere studui. Praelectionibus medico-clinicis Celeb. *Hildenbrand* et Chirurgico-clinicis *Kernii* interfui. Cel. *Boëri* in arte obstetricia, et *Payolae* in quibusdam operationibus chirurgicis semper grato animo recordor. Chirurgicis exercitationibus et institutionibus Exper. *Rust*, cui quantum debeam, nunquam obliviscar, per XX menses fruitus sum. Praelectionibus de re ophthalmica Celeb. *Beerii*, nec non ejus operationibus in nosocomio universali tum in ejus nosocomio privato per III annos interfui, quo duce praxin ophthalmiatricam exercens permultos curavi aegros, et ipse operationes extractionis in schola clinica felici cum eventu institui. Vir ob magna in me benigne collata beneficia gratissimo animo pie colendus.

Mense Novembris anni MDCCCXV Berolinum profectus, ut in eius universitate, docentium praeclarorum splendore per Germaniam celeberrima, studiis meis medico-chirurgicis finem imponerem. Exercitationibus practicis in policlinico et Instituto chirurgico-clinico ducibus Ill. *Hufeland et Graefe*, exercitationibus clinicis in nosocomio Caritatis duce *Horn* nec non demonstrationibus aciurgicis Ill. *Graefe*, praelectionibus de Anatomia pathologica apud Cel. *Rudolphi* et de Celsi scriptis apud Ill. *Berends* interfui. Quantum hisce debeam viris maxime colendis verbis a me dari nequit. — Absoluto denique Tentamine et Examine rigoroso nil amplius obesse spero, quo minus Gratiosa Facultas Medica summos Doctoris honores hodierno die benique in me conferat.

Berolini, dei XXI Augusti MDCCCXVI.
